



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. LXIV. Vtrùm ille aliquando peccet, qui putat se obsequium
præstare Deo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO SEXAGESIMA- QUARTA.

*Virum ille aliquando peccet, qui putat se obsequium
prestare Deo?*

1. **H**IC iterum conqueri cogor de Celladeo, quod, cum Zelum animarum præ se ferat, adeo confusè materiam hanc quæst. 6. & 7. pertractet, ut legentibus periculum afferat, non auxilium. Sub notione enim generali absque ulla distinctione rem proponit, de qua apud omnes constat, quod malum aliquando interveniat. Ex hac autem generali & indistincta locutione Lector facile accipiet ansam periculosè extendendi doctrinam illam extra terminos debitos, nisi proprius quæstionis sensus dilucidè proponatur & exactè stabiliat. Quod si hoc præstetur, eo ipso montes, quos Celladeus insuperabiles existimat, solo æquantur, & totius quæstionis veritas legentibus plana & perspicua fiet.

ASSERTIO PRIMA.

*Error, etiam ille, quo quis putat se obsequium
prestare Deo, potest esse voluntarius &
culpabilis.*

2. **P**ROBATUR. Notorium est, lectionem librorum hæresim & errores continentium sanctissimè prohiberi, ne lectores in errores incidant, &c. Constat tamen plures, curiositate ductos, tales libros legere, & in errores prolabi. His errores illi sunt voluntarii & culpabiles, ut patet. Rursus error & ignorantia sæpe prohibentur, quia merentur prohiberi, ut dictum est. Jam qui scienter tales leges violant, culpabiliter errant. Ergo error illis est voluntarius, & culpabilis. Ex his erroribus illi potissimi censentur, quibus homines decepti dicunt bonum malum, & malum bonum; propter quod à Sacra Scriptura reprehenduntur. Jam inter errores istos, ille eminent, quo quidam errantes putant se Deo obsequium præstare in eo, quod malum est, & Deo displicet, ut etiam ex Sacra Scriptura constat. Hic enim, non minus quam alii, esse potest voluntarius & culpabilis, ut patet.

ASSERTIO II.

*Qui vincibiliter putat se Deo obsequium
prestare in eo, quod malum est & Deo displicet,
multipliciter peccare potest in opere,
& magis quam peccatis incurrendo erro-
rem.*

3. **P**ROBATUR. Inprimis talis homo peccat operantem, quando ipse error vitio vertitur, & ad peccatum imputatur, ut supponitur imputari in casu præsentis. Ergo tam error, quam opus ab errore regulatum in casu assertionis peccato vertitur, & ad culpam ac pœnam imputatur. Et hac quidem ratione æquè peccatur in errore ac in opere. Secundo taliter operans peccare potest ex zelo indiscreto, ac passione non bene regulata, eò quod ex invidia, odio, aut alia perversa intentione opus illud ponat. Et hoc contingere potest etiam in eo, qui invincibiliter, immo in eo qui verè putaret opus à se positum Deo placere, atque etiam à Deo præcipi. Ergo haud dubiè eadem ratione peccare potest, qui vincibiliter errat in tali iudicio. Ergo homo multis modis peccare potest in opere, quod credit Deo placere. Nec dubium, quin talis homo gravius peccet, quam si nullo alio titulo quam opere ab errore illo regulato deliquisset.

ASSERTIO III.

*Qui invincibiliter, aut inculpabiliter credit
se Deo obsequium prestare in opere per se
malo, non peccat, modo ex alio titulo
indebitè non operetur.*

4. **A**SSERTIO est certissima, quia secundum omnes error invincibilis & inculpabilis excusat operantem ex illo errore. Vide, quæst. 16. de Consc. prob. ubi hoc ex professo probatur. 5. Hinc autem sequitur, errorem istum, si ex invincibili evadat vincibilis, eo ipso non amplius excusare, quia titulus excusationis aufertur. Similiter si error ille ex vincibili evadat invincibilis, eo ipso excusabit operantem; quia titulus ob quem opus imputabatur aufertur, & titulus ob quem operans excusatur inducitur.

ASSERTIO IV.

Qui absolute arbitrat se obsequium Deo prestare in opere malo, & undique bona fide, ac sine alia indebita dispositione operatur simpliciter peccat, si vincibiliter erret. Non tamen peccat peccato per se, ac ratione sui imputabili ad peculiarem poenam & culpam.

Præcipua assertio contra Adversarium.

6. ASSERTIO hæc, quæ, ni fallor, directè opponitur intento Celladei, ex iis efficaciter probatur, quibus *quæst. præced.* idem probatum est de ignorantia vincibili, quæ certè repetenda non sunt, maximè cum satis pateat præsentem talis hominis dispositionem secundum se in nullo diversam esse ab ea, quam habet alius, qui eundem errorem invincibiliter incurrisset. Ergo malum ex æquo neutri est voluntarium in se, cum ex æquo ab utroque ignoretur. Ergo alia ratione imputari non potest, quam ratione vincibilitatis, per quam solam, & in qua sola est voluntarium. Vide etiam *quæst. 16. de conscientia prob. à num. 31. usque ad finem*, quia hoc ipsum ibi fusè probatum invenies, quæ hic sine necessitate repetenda non sunt. Atque hæc sufficiunt, ut quæstio clarè proponatur, habeturque occasio respondendi ad ea quæ Celladeus plurimi facit, & contra nobiscum sentientes objectat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò. Verba Christi Joan. 16. clara sunt. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare Deo; & hæc facient vobis, quia non novērunt Patrem, neque me.* Et sanè ex istis verbis unanimis Patrum & omnium sensus est, occisores Apostolorum arbitratos se Deo obsequium præstasse. At, hac persuasione non obstante, haud dubiè peccarunt, idque S. Thomas diversis in locis expressè supponit, atque ad hoc probandum hæc ipsa Christi verba ponderat. Rursus qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, arbitrantur se rectè agere. Et tamen peccant. Ita Celladeus *quæst. 6. §. 1. & 2.* ubi plures adducit, qui dicta illa Sacræ Scripturæ in eundem sensum exponunt. Ibidem reficit dictum Magistri cuiusdam (gravissimum appellat) qui eum in aliqua re culpæ immunem pronunciaverat, eò quòd omnino crederet ipsum existimasse, se in eo Deo obsequium præstare. Ideo autem eum citare videtur, ut ex hoc ipso dicto ipsius convincat eum prorsus incongruè loquutum fuisse, & non causam pro causa attulisse. Quid ergò, concludit, tam ultro, quam validè assumitur, eos, qui se bene agere putant, ita existimando, & arbitrando non peccare? *Annè, qui arbitrat obsequium se prestare Deo & sacrificium, putat & arbitrat se in eo peccare?* Ita Celladeus.

8. Respondeo, quid hæc ad rem? Quis negat eos, de quibus Christus loquitur, persequendo & occidendo Apostolos peccasse? Sed quid inde? Sequiturne eos nullam ob aliam causam quam ob merum illum errorem peccatum incurrisse? Nullo modo, immo non sequitur, errorem illum non fuisse affectatum: quia sicut hæretici pertinaces actu adherent suis erroribus ut veris, contra obligationem satis patentem, eò quòd contra legem Dei satis illis manifestatam Ecclesiæ propositioni stare detrectant; ita simili-

R. P. A. Terilli, Regula Morum. Pars II.

ter ex malitia & errore credere poterant, se Deo obsequium præstare in tali opere, & quod plus est, opus illud à Deo strictè præceptum esse. Sed quidquid sit de hoc, omnes dicere debent, errorem illum fuisse vincibilem. Jam vincibilitas illius consistit in peccato aliquo non ex errore, sed ex malitia contracto. Quantum autem scimus, peccatum illud toties repetitum est, quoties taliter opinati sunt: in quo casu omnis ille error, & opus ab errore directum ad peccata malitiæ magis, quam ad peccata ignorantia spectarent. Porro si nullum peccatum malitiæ aderat, sed error ille solum in causa præterita imputabilitatem habebat, tunc peccabant quidem, sed non peccato imputabili ratione sui, ut ostensum est. Sed hæc & hisce similia Celladeus non distinguit, & ideo non est mirum, quòd hæc ut valida argumenta objiciat, quæ nullam difficultatem habent.

Peccari potest in eo quod bonum erroneè creditur si error fuerit vincibilis.

9. Dicitur portò Magistri illius in circumstantiis expressis valdè prudens ac rationale fuit, ut ostensum est supra, pro quo proinde gratia agendæ erant, ut ibidem probavi. Absurdum ergo est, talia viro bene merenti objici, & ut absurda sæpius reficari. Errat proinde Celladeus in conclusione argumenti, & ex falsa suppositione procedit, quia nemo ex eo præcisè, quòd quis putet se bene facere, infert illum sic opinando & operando à peccato excusari, sed multa alia requiruntur, & post omnia dicitur cum peccare in tali opere, si error sit vincibilis & opus malum, quamvis non sit necesse, opus illud esse peccatum imputabile ratione sui. Adde ipsum errorem illum esse posse supinum aut affectatum, in quo casu taliter errans, non existimaret se peccare materialiter in eo quod facit, bene tamen perciperet se in errore admitendo, & juxta eum operando formaliter peccare, & Deo displicere, ut dictum est.

Hallucinato Adversarii.

10. Objicit tertio. Tyranni qui persequuntur Christianos, putabant eos esse magos, & legem stultam prædicare, ut ex gestis Martyrum constat. Judæi præsentis quid non in Christum & sacras ejus Imagines perpetrant? An in Deum notum ita furunt? Et tamen peccant, & ideo à Deo & hominibus puniuntur. Idem dicendum de Mahumetanis & hæreticis, qui Eccl. siam persequendo arbitrantur se obsequium præstare Deo, & tamen Deum offendunt. Tu eos excusas, quia zelum Dei in se habent: At Paulus aliter loquitur, dicit quidem eos zelum habere, sed non secundum scientiam, & expertus loquitur.

11. Deinde omnibus Ecclesiæ Doctoribus, ac Spiritualibus animarum Doctoribus semper persuasum fuit, peccari posse per seductionem & deceptionem, nec homines per hoc excusari quòd decepti fuerint, & bonum existimaverint quod fecerunt. Quoties S. Paulus inculcat fidelibus, ut vigilent, ne doctrinis & verbis inanius seducantur? Quod si decipi malum non est, si opera, quæ decepti bona putamus, honesta evadant, & tam honesta, quam si non fuisset decepti, quorsum seductio, ac malæ doctrinæ tantopere cavendæ sunt? Præterea *Vt* scriptum est dicentibus bonum malum, & malum bonum. Item & cæcis ducibus cæcorum. At cæci suam cæcitatem non vident, nec in quo quis cæcus est, se cæcum esse cognoscit. Sed & omnes persuasum habemus, Dei judicium fore strictissimum, & aliter ab illo, quam à nobis de rebus judicandum. Viri Sancti qui nullum peccatum grave scienter admittunt, merito formidant, & dicunt

cum Apostolo. Nihil mihi confitui super, sed non in hoc justificatus sum: Qui autem iudicat me Dominus est. Delicta enim quis intelligit. Ita Celladeus §. 3.

12. Respondeo, his omnibus jam abundè satisfactum esse, quia peccata malitiæ frequentissimè adjuncta fuerit peccatis ignorantia. Quod si peccatum ex sola ignorantia olim tantum vincibili, nunc autem invincibili ortum habeat, non habet propriam, sed solum communem imputabilitatem, contra quod ex omnibus hic objectis formari nequit syllogismus, qui ullam vim præ se ferat, aut in se habeat. Sed qua quæso specie veritatis audeat Celladeus dicere, nos eos excusare, qui zelum Dei habent, quamvis mala operentur? Neminem excusamus, nisi invincibiliter erret, in quo casu ab omnibus excusatur.

Nemo malum operas excusatur nisi invincibiliter erret.

Alios magis aut minus reprehendendos dicimus, prout ex sola ignorantia aut etiam ex adjuncta malitia operantur malum, quod bonum creditur.

13. Qui deceptionem cavendam docent, æquè prohibent deceptionem qua bonum creditur malum, ac qua malum dicitur bonum; unde tam hoc documentum, quam et illud S. Scripturæ ex æquo locum habet in omnibus errantibus, sive tutiora doceant sive minus tuta. Ceterum minime ista & documenta obligationem tantum habent in rebus certis, non autem in rebus utrimque probabilibus, ut sæpe dictum est. Atque ideo magnum prorsus malum est decipi in illis, quamvis decipi in istis malum sit non adeo magnum, ut contendit Celladeus, qui hic etiam in antiquo suo errore progreditur, supponendo nos docere errorem nullius esse momenti, sed reddere opus tam bonum quam certa scientia redderet. Verum nos nil tale docemus, sed totam rem per varias distinctiones proponimus, juxta quas dicimus, quis, quando, qualiter peccet aut excusetur, magis vel minus rectè operetur. Facile autem est in communi exclamare contra tales assertiones, quasi verò nos ita sentiremus de rebus in communi sine ulla earum distinctione, sicut Celladeus eas in communi ad invidiam opinionis nostræ, nec sine periculo noxiæ deceptionis in Lectore proponit. Distinguat singula, & videbit, se nullum argumentum contra ullam ex assertionibus nostris attulisse.

14. Demum ad illud de tremendo Dei iudicio, iustoque omnium proborum metu satis responsum est ex Vasquio *quæst. præcedente*. Præterea Sancti ipsi, qui nullum peccatum, ne quidem veniale deliberatè committunt, adhuc merito formidant, ne aliquando ex subreptione, aut tentatione non statim suppressa succumbant, & fortè mortaliter peccent. Nec desunt alii justissimi timoris tituli, ob quos se humilient sub potenti manu Dei, atque sibi dissidentes totam suam spem in mera ejus misericordia collocent.

15. Objicit tertio. Qui tenent incogitantiam & errorem excusare à peccato, & bonitatem in actum inducere, in eo fundantur potissimè, quod bonum & malum, solum ut apprehensum, constituent mensuram bonitatis & malitiæ. Unde sic discunt. Qui agit contra suam conscientiam, actualem peccat, ut certum est ex fide. Ergò qui agit juxta suam conscientiam actualem rectè agit. Verum hæc illatio non subsistit, quia qui agit contra conscientiam voluntariè violat legem, quam dari existimat: at qui operatur juxta conscientiam erroneam non ideo involuntariè violat legem, quia error & ignorantia esse possunt vo-

luntaria, & in eo casu juxta omnes non excusant. Præterea S. Thomas 1. 2. *quæst. 19. art. 6.* proponit hanc ipsam rationem adversariorem contra suam resolutionem, dicentem, quod voluntas concordans rationi erranti non semper sit bona, & eandem solvit, dicens consequens non sequi ex antecedente, cum bonum sit ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu. Quod cum ita sit, miranda est oscitantia Theologi cujusdam, qui ratione & auctoritate S. Thomæ probat, voluntatem discordantem à ratione errante esse malam, & mox subsumit, eadem auctoritate constare, voluntatem conformem rationi erranti esse bonam, cum tamen certum sit S. Thomam in illo loco ex professo probare voluntatem rationi erranti conformem esse posse malam.

16. Respondeo, Celladeum non posse assignare illum Auctorem ullius nominis, qui suam assertionem probet argumento in objectionem posito, cum omnes dicant errorem vincibilem non excusare. Sed hunc Celladei defectum circa hoc ipsum argumentum latè impugnatum habes *quæst. 3.* Verum quidem est quod bonitas & malitia moralis actibus intrinseca non desumatur nisi à bonitate & malitia ut apprehensa; verum hoc non tollit, quo minus actus aliquis in specie physica virtutis constitutus careat bonitate meritoria; quia actus ille ab alio actu infici potest, ne vim habeat movendi ad præmium, quamvis intrinsecè sit actus virtutis. Sic qui ex motivo malo imperaret sibi actum virtutis, eliceret quidem actum virtutis, sed impediret quo minus ille movere posset Deum ad præmium conferendum unde actus ille esset potius physicè quam ethicè actus virtutis. Idem valet in casu conscientia errantis; elicitur enim actus contentus in specie illius virtutis, quæ menti objicitur, inde tamen non sequitur, quod actus ille sit simpliciter ethicè bonus, ad hoc enim à nullo alio infici debet. At quando conscientia vincibiliter errat, datur peccatum, à quo actus ille inficitur, & constituitur imputabilis & peccatum. At si error sit invincibilis, tunc actus est moraliter bonus, quia nil est quod impediatur, quo minus intrinseca bonitas actus totam vim suam exerat, &c. Hæc autem omnia fusè explicata sunt *quæst. 3.*

17. Quod ad Theologum illum attinet, non habeo quod dicam, quia non novi quid teneat. Suspicio autem eum, aliud noluisse, quam quod voluntas concordans rationi invincibiliter erranti sit simpliciter bona, quia hoc est quod S. Thomas expressè docet in illo articulo, ut ostensum est *quæst. 3.* Quod si loquatur etiam de errore vincibili, suspicio eum aliud significare non voluisse, quam quod voluntas à puro errore regulata, nec ullo actuali peccato malitiæ infecta, sit actus veræ virtutis, seu actus intrinsecè & essentialiter bonus, bonitate physica ejus virtutis in cuius motivum fertur. Hoc enim verum est, & efficaciter probatur ex argumento à Celladeo allato. Inde autem intulit quod actus ille non sit peccatum ratione sui imputabile, quia hoc repugnat actui habenti specificationem physicam virtutis, ut patet. Verum non docuit actum illum esse simpliciter bonum ethicè, cum si error fuerit vincibilis extrinsecè denominetur malus & sit peccatum imputabilitate non intrinseca & essentiali, sed intrinseca & accidentaliter. Quæ omnia confirmari possunt ex illo S. Thomæ dicto. Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. In hoc autem nil est, aut contra S. Thomam, aut contra communem opinionem, sed omnia veritati consonant.

nant: quod si Theologus ille alia ab istis docuerit, non sum qui ejus patrocinium suscipere velim, quia ego communem tantum causam defendendam suscepi. Cæterum argumentum Celladei contra quaestionem juxta nostras assertiones propositam nil probat.

18. Objicit quartò. Opponent mihi, inquit Celladeus §. 5. quod mea opinio incidat in errorem Novatorum, qui tenent ignorantiam nobis in statu lapsò invincibilem, & solum vincibilem in Adamo, non excusare à peccato. Subsumunt mox de suo adversarii: sed quoties non adest actualis cogitatio peccati, est ignorantia invincibilis; multò verò magis, si existimamus nos Deo obsequium præstare. Ergò si nihilominus peccemus, ignorantia invincibilis non excusabit. Sic illi: sed contrà primo, quia hæc nova ignorantia invincibilis explicatio omnia ignorantia & ex ignorantia peccata convellit, & plura alia tollit, ut in superioribus ostensum fuit. Præterea ideo, actualis advertentia ad ignorantiam vincibilem requiritur, ut cum ex ignorantia peccamus possimus ignorantiam tollere. At hoc vanum est, nam in illo instanti, in quo urget operatio, ignorantia tolli nequit, sed antea potuit, & postea poterit.

19. Contra secundò, quia adversariorum opinio plurimum favet Novatorum errori, assumunt enim dictam ignorantia invincibilis explanationem, & sic arguunt. Quoties actu non advertitur peccari adest ignorantia invincibilis. At non quoties actu non advertitur peccari excusamur. Ergò non quoties adest ignorantia invincibilis excusamur. Et quidem Novator pro sua minori confirmanda habebit Sacram Scripturam, Sanctos Patres, & omnes antiquos Theologos, At Adversarii nihil auctoritatis hæcenus attulerunt, nec afferre, credo, possunt, qua probent, non peccari nisi actu advertatur peccari. Ita Celladeus loco citato.

20. Respondeo, opinionem Celladei haud dubiè re ipsa accedere ad errorem Novatorum, quia sicut illi volunt omnem ignorantiam esse vincibilem in Adamo, atque ideo non excusare quamvis in hoc statu vinci nequeat; ita ille vult incogitantiam præsentem esse vincibilem, quamvis in tota præsentis operatione humana consideratio legis non sit in nostra potestate, & quod plus est videtur hoc dicere, tam universaliter, ut innumeros casus includat, in quibus ostendere non potest, quomodo ea inconsideratio fuerit voluntaria & imputabilis, nisi ad Adamum recurrat. Rursum sicut illi dicunt opera ex ignorantia facta, non solum tribui culpæ & imputari imputabilitate peccati originalis, quamdiu non est remissum (in quo dicto nil mali est) sed volunt illa habere imputabilitatem & malitiam specialem non solum ante sed etiam post deletum originale; ita ille Celladeus videtur velle, opera ex plena inconsideratione mali facta habere imputabilitatem propriam, distinctam ab imputabilitate causæ per quam inconsideratio & ignorantia contracta est, idque non solum ante, sed etiam post negligentiam retractatam. At hæc duæ opiniones re ipsa non differunt, nec ovum videtur ovo similius, quam una ex istis sententiis alteri, suda-bitque Celladeus antequam dederit realem diversitatem inter utramque. Nec refert, quod verbis discrepet, dicatque ore aperto ignorantiam invincibilem excusare, quia vix admittit ullam ignorantiam esse absolute invincibilem; illa autem, quam dicit esse invincibilem, erat vinci-

bilis in causa, & consequenter æquè imputari debet ac illa, quas vocat vincibilem. Uno verbo quidquid Novatores vocant invincibilem, apud illum est vincibile, & quidquid ille vocat invincibile, est apud Novatores simpliciter vincibile in causa; sicut reliqua, quæ ipse vincibilia appellat. Ergò in re nulla videtur diversitas inter sententiam utramque. Meritò ergò objectum contra ipsum est, quod in Novatorum opinionem incidet.

21. Cæterum Celladeus errat in proponendo argumento contra se; quamvis enim dicamus absolutam & omnimodam incogitantiam mali pro toto tempore operationis humanæ durantem, esse hic & nunc humano modo insuperabilem, non tamen universaliter negamus, eam esse simpliciter vincibilem, quia scimus, quod à priori negligentia oriri poterit. Itaque solum dicimus opus purè ignorantia & incogitantia, maxime si etiam credamus illud Deo placere, nullam habere propriam, nec aliam posse habere malitiam, quam quæ negligentia priori convenit; sed nec illam participabit, si culpæ illius remissionem obtinuerit. Hæc est substantia nostræ sententia, quæ Celladeus non solum non impugnavit, sed ne quæ explicavit. Præterea in eo falsus est, quòd dicat nos definire ignorantiam invincibilem per actualem incogitantiam; nemo enim per eam definit talem ignorantiam, sed omnes communem ejus definitionem afferimus, quamvis verum est, omnimodam incogitantiam de præcepto toties esse invincibilem, quoties non peccamus in talem incogitantiam incidendo, ut dictum est.

22. Prima replica fundatur in falsa suppositione, quia nostra sententia non tollit peccata ignorantia, sed explicat quæ & qualia sint ejusmodi peccata, ut patet ex dictis. Similiter repugnat, ignorationem legis esse hic & nunc vincibilem in eo, qui toto tempore operationis humanæ nullam de lege apprehensionem, aut suspicionem habuit, quia de tali homine verum est, quod eam ignorationem expellere non possit. Jam hoc vanum non est, quia hoc efficaciter probat, opus illud non esse imputabile ratione sui, cum malum illius hominis hic & nunc non sit voluntarium per actum quem elicit; quamvis hoc non obstet, quominus sit voluntarium in alio, & sic imputetur ad culpam imputabilitate causæ à qua processit.

23. Secunda replica retorquet argumentum in nos, sed prorsus invalidè, quia non sincerè proponit sensum nostræ sententia. Nos enim solum dicimus, quod quoties in toto operationis humanæ decursu nullam habemus apprehensionem mali, toties illam hic & nunc invincibiliter ignoremus, ac proinde quod non ponamus opus ratione sui imputabile, quidquid sit, an præsens incogitantia sit vel non sit culpabilis ob negligentiam priorem, quia aliquando est aliquando non est culpabilis. Si non sit culpabilis, nullum committitur peccatum; si sit culpabilis committitur quidem peccatum, sed quod aliam non habet imputabilitatem, quam quæ competit causæ, ob quam est & dicitur culpabilis. Jam hæc doctrina nullo modo favet Novatoribus, sed in omni apice illis diametraliter opponitur. Quando enim subsumunt: Non excusamur, quoties non advertitur peccari; distinguendum est: non excusamur à peccato per se imputabili, negatur, & in hoc ab ipsis dissentimus: non semper sed solum aliquando excusamur à peccato imputabili solum in alio, conceditur. Sed illi in hoc etiam dissentiunt, quia volunt semper peccari, & quidem per propriam

Summa sententia nostræ qua Adversarius non impugnat.

Quando ignorantia legis est invincibilis quando vincibilis?

Adversarius minus sine curus.

Sententia nostram in se favet Novatoribus.

priam imputabilitatem. Jam Auctoritates quas Novator affert pro illa minori nullo modo improbant nostram sententiam, ut patet ex dictis. Ergo verum est, quod coincidentia cum opinione Novatorum recte objiciatur Celladeo, & quod in nostra opinione nulla sit umbra talis coincidentiae, quodque demum ex nostra sententia nullum argumentum ad suo errori suffragandum formari possit.

Hallucinatur Adversarius affectus nostram sententiam auctoritate destitutam esse.

24. Sed quid? nullamne afferimus nos, aut afferre possumus auctoritatem pro nostra sententia? sic arbitratu Celladeus, sed in utroque fallitur. Sanè *quæst. præced.* potissimum ex antiquis Auctoribus, nominatim S. Thomam, Sanctum Bonaventuram, & S. Antoninum attulimus, qui expressis terminis actualem considerationem mali ad peccatum mortale requirunt. Et quidem sermo est de peccato præcisè contento in opere malo, quod ex inconsideratione ponitur. Nec dubium, quin auctoritates illæ desertissimè hoc probent & convincant. At aliud non contendimus, in præsentis quæstione, quia alterius investigationis est, an habeat generalem aliquam imputabilitatem in alio. Quid ais, Celladee? Estne hoc omni auctoritate carere? Sed fortasse velles aliquam ex Sacra Scriptura; en dabo tibi disertissimam, quam latè prosequutus sum contra Sinnichium *quæst. 25. de Consc. prob. à num. 41. usque ad num. 45.* Textus Sacrae Scripturae habetur in Psalmo 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terra.* Unde hoc argumentum formavi. Omnis prævaricator est agnitus legis temerator, ut constat ex S. Paulo, & propria termini illius significatione. At omnis peccator est prævaricator. Ergo omnis peccator est agnitus legis temerator. Ergo qui nullo modo advertit ad legem non peccat contra illam legem, quia illam non prævaricatur. Adduxi etiam Augustinum, qui in dictum Psalmo 118. *concl. 25.* ex hoc loco probat omnes peccatores, etiam parvulos, esse prævaricatores. Verùm *lib. 16. de Civit. cap. 27.* id ipsum clariùs exponit his verbis. *Cùm dicat Apostolus, ubi non est lex, nec prævaricatio, quo pacto quod est in Psalmo verum est, prævaricatores estimavi omnes peccatores terra, nisi quia omnes legis alicujus prævaricatae sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, unde ipsi gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut verum sit utrumque quod scriptum est, & prævaricatores estimavi omnes peccatores terra, & ubi lex non est, nec prævaricatio.*

Favet Augustinus.

25. Ex his auctoritatibus loco citato efficaciter probavi contra Sinnichium, quod peccatum puræ ignorantiae, nullam peculiarem imputabilitatem & malitiam habeat, alioquin inveniretur ratio peccati & peccatoris sine ulla ratione prævaricationis & prævaricatoris, quod ex mente Augustini Psalmo repugnat. Præterea alioquin verum non esset, quod dixit August. *Omnes legis alicujus prævaricatae sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti.* Neque verum esset quod postea subjungit. *Profectò eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores agnoscuntur.* Quod ultimum licet dicat de parvulis, illud tamen eodem modo intelligit de omnibus, ut patet ex contextu. Desinat ergo Celladeus jactare nos nec afferre, nec posse afferre auctoritatem pro nostra sententia; validissimas enim attulimus, & alias afferre

possemus, si opus esset. Qui plura velit addeat dictam *quæst. 25. de Consc. prob.* ubi argumentum contendat has auctoritates; ut jacent, contrariari illis, quas ipse attulit, ideoque debere per illas possumus contendere oppositum, quia sine dubio auctoritates, quas allegavi, sunt clarissimæ, cum illæ de peccatis ignorantiae multis de causis non sint adeo claræ. Contra 2. quia nulla in illis auctoritatibus est contrarietas, omnes verum dicunt & rectè cohærent; immo omnes ad litteram veræ sunt in nostra sententia, quæ distinguunt peccatum imputabile ratione sui, à peccato solum imputabili ratione alterius. Auctoritates à me allatæ probant nullum opus à pura ignorantia aut incogitantia causatum esse posse peccatum ratione sui imputabile, tum quia ratione sui non est prævaricatio, tum quia malum operis ratione sui actus non est voluntarium, cum tamen utrumque tum ratione, tum auctoritate irretrahibili sciatur esse necessarium ad peccatum ratione sui imputabile. At opus puræ ignorantiae & incogitantiae potest esse peccatum ratione alterius, scilicet ratione illius per quod & voluntarium dici potest, & rectè appellari prævaricatio. Ecce nostra sententia adæquatè sumpta alia non est, quam duplex veritas ex rationibus & auctoritatibus efficacissimis stabilita, ideoque mirum si in illa auctoritates istæ omnes admittantur ut jacent. At Celladeus, nisi mutet opinionem, & fateatur opus puræ ignorantiae (quando datur) nullam habere propriam imputabilitatem, numquam conciliare poterit has auctoritates, sed alterutras violentis fallisque interpretationibus à proprio sensu detorqueere cogetur.

SOLVITUR ALIA OBJECTIO,

Et quaritur, an rudes peccent contra fidem quando credunt Párocho errores docenti?

26. **O**BJICIT quintò. Consideretur syllogismus, quem hic appono, quia demonstrat homines in eo posse peccare, in quo putant se Deo obsequium præstare. Syllogismus ita se habet. *Peccatur aliquando per interiori infidelitatem & heresim. At quando sic peccatur, non actu advertitur, nec cognoscitur peccari, quin existimatur obsequium Deo præstari. Peccatur ergo, quin actu advertatur, & cognoscatur peccari, quin existimando obsequium præstari Deo.* Major ex omnium consensu est certissima. Præterea Sacra Scriptura hæreticos animas decipientes frequenter vocat lupos perdentes & mactantes gregem. Ergo mactant & perdunt animas non ferro, sed errore. In eandem rem ultra varios Sacrae Scripturae textus affert Celladeus plures Summos Pontifices, qui hæreticos aut lupos gregem disperpentibus comparant, aut expressè dicunt animas per errores ex simplicitate decipientes in diaboli foveam incidere. Uno verbo multis adductis testimoniis rectè probat Ecclesiam, & Summos Ecclesiae Pastores palam profectos esse se ideo ad surgentium hæresum errores compremendos omni nisu incumbere debuisse, ac incubuisse, ne gregem fidelium in ruinam ac damnationem incideret. *Erubesco, inquit, de rebus tam manifestis, &c. tractare. Sed quid faciam, si tenetur, si propagatur, peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscas ipsa actu se peccare?*

si lupum non lupum putas sed ovem, &c. nil inde mali, non peccas non raperas neque mactaris. Ita Celladeus lib. 1. quæst. 7. §. 1. & 2. Etpauld ante in præfatione ad quæstionem hæc habet. Adeo in moribus invaluit existimatio ista de necessitate actualis cogitationis, & tot, nisi totus inceptio, inserit præjudicia, ut modis omnibus eam convellere necessarium arbitratum sum; atque totius literarii laboris mei pretium futurum amplissimum, si hoc unum conserer.

27. Mox §. 3. totus est in probanda minori, quam evidentem esse jactat, quia intellectus semper existimat veram esse partem cui assensum præbet. At hæreticus assensum præbet errori, quem docet. Ergo hæreticus veram credit hæresim, cui assensum præbet. Sed nemo actu putat se peccare præstando assensum rei, quam actu credit esse veram. Ergo nullus hæreticus actu putat se peccare præstando assensum hæresi, quam tenet. Et sanè hæreticus non se credit esse hæreticum, sed verum dogma tenere, atque in eo tenendo se obsequium Deo præstare. Et sanè si opposita via adhuc teneatur, in id absurdi prolabimur, quod argumento hæresis diminuat peccatum, & tunc demum tollatur prorsus, cum ad summam obstinationem & cæcitatem excreverit; tunc enim omnis umbra scrupuli arceatur, & Lutherus redditus fuisset in sua hæresi jam impeccabilis, ex quo, ut dixisse fertur, vermem conscientia omnino extinxit. Quid verò absurdius, quam augmento vitii, ut est hæresis, culpam diminui, ac tolli demum eo ad summum excrecente?

28. Demum §. 4. totus incumbit ad probandum, quod rusticus credens suo Parocho hæresim docenti non excusetur. Sic enim arguit. Creditor, & fidenter dicitur nil esse mali, nil culpæ, si fidelis sed simplex rusticus Parocho suo credat, personas Trinitatis esse duas, aut unam earum esse Virginem Sanctissimam. Ratio redditur, quod is ignorans sit, nec plus sciat, nec aliud facere valet, quam Pastori suo credere: nec in quo peccet, ipse cognoscit. Verum hæc ratio ex eo falsitatis arguitur, quod hæc ratione omnia peccata ignorantia & ex ignorantia tollantur, præterea Nestorius Constantinopoli celebris Episcopus plus erat quam Parochus, & tamen oves ipsi credentes duas personas esse in Christo peccabant, & peribant, ut expressè dicit Cælestinus Pontifex in Epistola ad ipsum dicens. Quid hic tu Pastor acturus es, qui dominicum gregem in lupum ipse diserpis? ille promittit alias adducere, ubi pereunt quas habebas. Nec alia de causa congregata fuit Synodus Ephesina; nisi ut lupus rapax, & mactans arceretur, ejiceretur, & oves illæ servarentur. Idem dicendum de Eutychanis, aliisque hæreticis, à quibus plebs decepta in perniciem animarum, fuit; alioquin frustra hæreticis tantum negotium facerent Pastores Ecclesie, & non fuisset cur Christus ipse tam seriò juberet attendere à falsis Prophetis, &c. quia maxima pars fidelium, nempe rustici, rudes, ac Fœminæ sine periculo ab illis seducerentur. At Ecclesia maximè sedulo invigilat contra Hæreticos errores seminantes, ne populi etiam rudes inficiantur & pereant. Censet ergo illos non sine peccato ab illis seduci.

29. Jam eadem ratio valet in moribus; si enim error in fide non excusat, nec error in moribus excusare poterit. Quis dixerit eos excusari, qui fornicationem crederent licitam pro tuenda vita, eò quod hoc à Parocho audierunt? Sanè Genti-

les ipsi in similibus fuere inexcusabiles, ut S. Paulus 1. ad Rom. docet, & S. Thomas optimè commentatur. Ergo multò minùs excusabuntur Fideles, quia veritas talium facilis sciri potest in Ecclesia, quam in infidelium cæcitate. Et sanè quando talia in Ecclesia acciderunt, nihil dubitatum est de culpa, sed punita sunt scelera. Epicurei credebant beatitudinem sitam esse in voluptate. Anne ideo qui bene Epicurei erant, & firmiter sine scrupulo suæ sectæ adhærebant, minime peccabant? Aut Christiani similia credentes & facientes non peccant?

30. Nec sufficit, quod Pastor aut Doctor hoc dixerit, nam Hæresiarchæ erant Pastores, Episcopi ac literati, & tamen erroribus suis mactabant, quos fallebant. Similiter non sufficit probabile, aut certum purè existimatum, quia nemo hæresim credidit, quam veram non existimavit. Ergo quoad ipsos probabilis erat; si minùs assentire non potuissent. Plurimi tamen hæresim credendo peccarunt. Ergo non excusat probabile, aut certum existimatum. Sic nec Arriani excusabantur à peccato hæresis, quamvis haberent fortissimas, ut putabant, rationes & auctoritates; nec Nicolaitæ à peccato luxuriæ, quamvis sectarentur dictum Nicolai, qui ab Apostolis ipse Diaconus fuerat constitutus. Et sanè Deus Apocal. 2. graviter reprehendit Episcopum Pergami, quod toleraret tenentes doctrinam Nicolaitarum. Ergo & isti errantes peccabant. Ita Celladeus §. 4.

31. Respondeo me multas in prioribus, sed nullibi tot terminorum æquivocationes, & confusiones simul observasse quot in hac septima Celladei quæstione reperi. Eas paulatim evolvam, prout singulis in objectionem contentis responsionem dederò.

32. In primis quod ad syllogismum attinet, ille frustra urgetur contra nos, qui consequens illius numquam negavimus; Celladeus tamen in eo urgendo plurimum gloriatur, atque illum pro irrefragabili demonstratione proponit. Sed ut omnes videant quam inane telum torserit, concessio consequente, quod nil à nobis expressè non assertum continet, consequentia negatur, quia minor propositio est aperte falsa. Et sanè peto à Celladeo, an nemo ex omnibus temerè judicantibus contra conscientiam peccet? Estne credibile, neminem illorum hæc in re contra conscientiam, aut certè contra aliquem saltem conscientia scrupulum operari? Nil certius, quam plurima ejusmodi judicia esse peccata ex malitia, non ex mera ignorantia patrata. Nos autem hæc loquimur de peccatis puræ ignorantia & incogitantia, quando nulla cognitio, nullum dubium, nullus scrupulus de malo intervenit. Idem valet de plurimis hæreticis, saltem de illis qui ab initio definitioni Ecclesie, quam antea pro regula infallibili habuerunt, stare noluerunt; fieri enim nequit quin aliquo modo adverterint se male facere, proprium judicium illius auctoritati præferendo. Nec obstat, eos putare, se verum credere, ac existimare illud ipsum à Deo revelatum esse, quia hoc non excludit scrupulum antecedentem, quo à tali judicio eliciendo terreantur, quoque satis ostenditur, eos judicio Ecclesie, proprio contempto, stare debuisse. Cæterum ad hæresim non requiritur, ut homo existimet errorem suum esse à Deo revelatum, sed sufficit si perveraciter neget illud esse verum, quod scit ab Ecclesia proponi tamquam à Deo revelatum. Hoc autem stante, argumentum nostrum fortius urget,

Inanis ostenditur adversarii jactantia.

get, quia quod opponitur vim non habet. Immo argumentum nostrum locum habet in eo, qui putat se obsequium præstare Deo, quia hoc iudicium consequens non tollit scrupulum antecedentem, quo homo sufficienter advertit, imo cognoscit se Deo displicere elicendo illud iudicium, quamvis objectum talis iudicii, prout præsentatur intellectui, Deo placere videatur. Sic subditus, cui superior prohibuit ne quidquam

in itinere emeret, iudicare potest gratum fore superiori talem rem, si ematur, quamvis dubitet an ipsum emere sit ipsi gratum. Ideoque peccare potest etiam contra conscientiam in faciendo eo, quod gratum superiori futurum arbitratur. Itaque certum est, peccatum hæresis ita esse peccatum erroris & ignorantie, ut non ex pura ignorantia & errore, sed hic & nunc ex malitia & contra antecedentem conscientie stimulum sæpissime incurratur, quamvis aliter dicendum sit de illo, qui omnia circumspiciendo hic & nunc nullam mali suspensionem sive in opere; sive in operatione cerneret, sed in omnibus se Deo placitum crederet. Ille enim aut nullo modo, aut certe ex mera ignorantia, & non ex malitia peccaret.

33. Sed & Celladeus ipse hoc ipsum satis clarè advertit dum opponit, sequi ex nostra sententia Lutherum impeccabilem futurum fuisse, postquam omnem scrupulum, & conscientie vermem extinxerat. Ergo credit eum, saltem ab initio suæ hæresis, non omni scrupulo caruisse. Nec dubium est, quin ab initio Lutherus frequentes habuerit, sicut ipsemet abundè testatur de seipso. Hoc ergo scit & admittit Celladeus. Ergo simul concedit, hæresim Lutheri, saltem ab initio, fuisse peccatum malitie, ad quod mens operantis satis advertit, sicut in aliis peccatis ex malitia patris advertere solet. Ergo inconsequenter loquitur, sibi que ac aperta veritati contradicit, quando contendit, minorem illam: *Quando peccatur per hæresim, non advertitur & cognoscitur peccari*: esse evidentem.

34. Cæterum quamvis Lutherus, si tamen verum dixerit, omnem conscientie vermem extinxisset, non ideo simpliciter loquendo minùs graviter peccasset, quia non ideo intellectus illius, non sufficienter advertit ad malum, quatenus clarè sciebat se contra Ecclesie definitionem suis erroribus inhærere, quamvis voluntas ipsius non cruciaretur. Verum hoc pertinaciam ipsius magis voluntariam reddebat, ideoque ex hoc capite peccatum augebatur; nec defectus advertentie pristinae eum excusabat, quia non erat causa erroris; cum mansisset in errore, quamvis eam advertentiam habuisset. Non ergo sequitur, ut arbitratur Celladeus, accessione vitii culpam minui, & multo minùs tolli, cum ad summum excreverit; sed oppositum ex nostra sententia legitime deducitur.

35. Cæterum, quamvis prætenfam Celladei demonstrationem exploserim, ejus tamen zelum laudo; sed vereor, ut sit secundum scientiam. Laudabile est temerarias, nimis laxas, & erroneas tam in materia fidei quam morum opiniones convellere; sed hoc scitè non præstatur, nisi opiniones ritè proponantur, atque objecta opinata in suas classes distribuuntur. Hæc si præstitisset Celladeus, atque peccatum puræ ignorantie à peccato malitie, opusque ratione sui imputabile ab opere tantum imputabili in causa distinxisset, non habuisset causam dicendi, communem gravissimorum Auctorum opinionem de

actualis cogitationis ad peccatum ratione sui imputabile necessitate tot secum præjudicia ferret, ut aliud suorum studiorum præmium non desideret, quam eam labefactare. Erras Celladeus, non illa secum ulla fert præjudicia; sed totum præjudicium in eo vertitur, quòd in confusa rem proponas, quòd in confuso eam intelligas, quòd in confusa ac generali terminorum acceptione eam impugnes, dum omnibus tribuis, quod uni tantum parti tribuendum esse vides. Negare peccata ignorantie & erroris absurdum est, quia certò constat quod dantur peccata ejusmodi. At contendere in particulari quod omne id quod fit ex plena mali inadvertentia sit peccatum, & quidem ratione sui imputabile, est absurdissimum. Distingue res, medià viâ incedes, & eos tecum sentientes habebis, quos tamquam adversarios infestaris.

36. Sed quid? Nónne docemus nos, peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscatur ipsa actu se peccare? Nónne eò tendit doctrina nostra ut statuatur hæc propositio, si lupum non lupum putas sed ovem, nil inde mali, non peccas, non raperis, neque mactaris? At hæc sunt intolera-

37. Respondemus, nil tale à nobis doceri. Dicitur enim peccari per ignorantiam, etiam quando non advertitur peccari; sed tunc dicitur peccatum illud, si sit peccatum puræ ignorantie, & nullum malitie peccatum interveniat (quod tamen aut semper, aut fere semper in omnibus generalibus Celladei exemplis intervenit) non habere imputabilitatem ratione sui, sed solum imputari propter causam, à qua provenit, & à qua sola est & denominatur peccatum. Rursus dicimus, incogitantiam sæpe esse inculpabilem, & à natura non culpa provenire, ideoque assertum nullum in tali casu peccatum intervenire. Cur hæc in propriis terminis non impugnas, Celladeus? Cur semper in generali loqueris? Si adversarium quaras, ad manum habes; sed vide an illum in eo, in quo à te discrepat, impugnes. Hactenus certè hoc non præstitisti. Unde si zelum adhibuisti, non adeo scitè eo usus es, sicut Theologum oportebat.

38. Quod autem ad secundam propositionem attinet, illa undique falsa est, nec apud ullum gravem Auctorem Catholicum invenitur. Nónne stultè, temerè, ac contra scrupulum conscientie, & consequenter ex peccato malitie credere possum lupum non esse lupum sed pastorem? Annè nil inde mali? Non rapitur, non mactatur, qui sic sponte & temerè in errorem ruit? Sic in errorem ruunt omnes, qui ab initio hæresarchis ab Ecclesia damnatis credunt, ut mox dicitur uberius. Præterea quamvis verum esset, quod homines sine peccato illis fidem præberent, sequitur inde, nil mali ipsis evenire? Sic arbitratur Celladeus, sed duabus de causis aperte fallitur. Primò si errent circa necessaria necessitate mediæ, damnatio æquè sequetur, sive peccent, sive non peccent qui illis fidem præbent. Mactantur ergo, & peribunt, etiam si errando non peccent. Secundò error ille impedit exercitium fidei, saltem circa talia objecta. Ergo impedit opus maximè meritorium, tum in se, tum propter effectus ab illa dependentes. At hoc magnum damnum est, ut patet. Nec dicas opinionem erroneam, & actus ab ea regulatos esse bonos, & tam bonos, quam sint ipsa fides, & actus à fide regulati. Ita sæpe objectat Celladeus, sed in utroque fallitur. Nec error, nec actus ab

Peccatum hæresis ita est peccati erroris & ignorantie, ut non ex pura ignorantia, sed hic & nunc ex malitia incurratur.

Celladei inconsequenter & contradictio.

Quomodo peccare poterit Lutherus contra fidem, post omnem conscientie vermem extinctum uti ipsemet iactabat.

Laudandus foret Celladei zelus in convellendis laxitatibus, si cum scientia esset conjunctus.

Debetur nostra & sententia

Error in triplici Co- ludo

errore

errore regulatus est bonus, nisi error sit invincibilis. Quamvis autem sit invincibilis, nec error est tam bonus quam fides, nec actus ab errore regulatus tantam bonitatem habet, quantum actus, quem certissima ac supernaturalis fides dirigit. Itaque semper cavendi sunt lupi, quia semper gregi nocent, semper maculant & perdunt.

39. Atque hinc non minus perspicuum, quam efficax argumentum ducitur, ad ea infirmanda, quae Celladeus §. 4. congerit, ad ostendendum, quod etiam rudes verè peccent quando Parocho, vel cuivis alteri, etiam doctissimo ac nominatissimo Episcopo errorem contra fidem docenti fidem præbeant. Inprimis constat, omnem planè errorem contra fidem, sive vincibilis ille fuerit sive invincibilis, multum obesse, cum fidem supernaturalem, atque opera in tali fide fundata impediatur, illorumque loco, aut mala, aut non bona, aut certè longè minùs bona substituat. Constat 2. omnem errorem, etiam invincibilem circa ea, quae simpliciter necessaria sunt ad salutem, seu quae communiter appellantur necessaria necessitate mediè, mortem æternam indubitanter afferre, atque idcirco omnino cavendum esse, cum certè certius damnationem inducat. Constat 3. omnem errorem, qui à fidelibus, de fide & Ecclesia modicè instructis, contra expressam Ecclesiae definitionem cum pertinacia incurritur, esse verissimam hæresim, gravissimumque peccatum ratione sui imputabile. Ratio est, quia fides vera adeo nos Deo per Ecclesiam loquenti subijcit, ut sciamus nos à fide, semel acceptata, nulla de causa, ne quidem quamvis Angelus de cælo contrarium annuntiaret, recedere debere, aut citra peccatum posse. Ratio est perspicua, quia qui auctoritati vel rationi contra Ecclesiam Dei nomine loquentem aures & fidem præbet, Deum mendacem facit; cum summam auctoritatem, satis manifestè se prodentem, fallacissimè rationi ac auctoritati creatæ contradicenti postponat. Hæc tria in se verissima sunt, ab optimis Theologis approbata, atque ex dictis satis dilucidè inferuntur: in iis autem totum intentum efficaciter stabilitur.

40. Inprimis omnes hæreses, nullà demptà, summo nisi à Pastoribus Ecclesiae infestandæ, ac si fieri potest, exterminandæ essent ab Ecclesia, quamvis aliud malum secum non ferrent, quam defectum boni, & meriti in ordine ad vitam æternam: Christus enim, qui Ecclesiae suæ & gloriam, & gloriæ cumulum desiderat, apud Pastores Ecclesiae depositum, (nempe rectam de credendis fidem ac doctrinam) reliquit, quo omnes sine impedimento, ad magnam gloriæ coronam pervenire possent. Injuxit porrò Pastoribus Ecclesiae, ut hoc depositum illibatum servarent, ne per illorum negligentiam medium tanti momenti ab ipso relicto frustretur. Itaque vel ex hoc solo capite contra fures & lupos clamare tenentur, & eos à grege arcere, ne illi suis erroribus hujusmodi nocumentum creent. Porrò quamvis talis error ex se præcisè gloriæ tantum diminutionem, non autem jacturam inferret, haud dubiè tamen multis ruinæ causa existeret, quia multis tepidis plurium bonorum & meliorum operum omitterentur ansam præberet, illaque de causâ Deus providentiæ suæ leges abundantiora gratiæ auxilia illis negaret; ex quo tandem, indirectè saltem, lapsus in peccatum, & peccantium damnatio sequeretur. Unde de talium errorum satoribus verum est, non solum quod suis doctrinis bona impediatur, sed

etiam quod oves perdant & maculent. Hæc est generalissima ratio, ob quam Pastores Ecclesiae contra hæreticos, tamquam contra lupos gregem invadentes, clamare, atque insurgere obligantur, ne alioquin oves illorum doctrinis seductæ, & gloriæ diminutionem, atque multæ etiam ejusdem jacturam patiantur.

41. Huic primò adde secundum caput nocu-
menti ab hæreticis imminenti, statimque videbis obligationem eis resistendi in Pastoribus crescere. Potissimè enim hæreses expressè in illis errarunt, quorum explicita fides necessaria est ad salutem necessitate mediè. Quòd cum certum sit, mirandum planè est Celladeum in tota isto tractatu nullam de hujusmodi differentia mentionem fecisse, sed de omnibus fidei articulis, ac de erroribus illis oppositis, eodem modo fuisse loquutum, ac si idem de singulis dicendum esset, quod ulli eorum convenit. At Theologi, quando tractant an & qualiter error in materia fidei noceat, aut ad peccatum imputetur, nil antiquius habent, quam ut ista distinguant. Sciendum ergò est, potissima Sanctissimæ Trinitatis ac Incarnationis Mysteria, aliæque nonnulla ex necessitate mediè ab omnibus esse credenda, adeoque homines sine illorum fide necessariò perire, sive qui illa ignorant, aut circa illa errant peccent, vel non peccent. Jam nulla est hæresis primaria, quæ circa aliquem saltem ex istis articulis non errarit. Unde Christus rectè admonuit, cavendum esse ab illis, quia doctrinis suis maculant oves & animas perdunt. Sed & Pastores Ecclesiae contra eos tamquam contra lupos gregem invadentes insurgere debent; ut oves ab eorum faucibus seu falsis doctrinis tueantur: nec refert quod Pastor, aut Episcopus, aut Doctor nominatissimus talem errorem proferat, quia in ordine ad impediendum salutem perinde est à quo error inducatur, quamvis in ordine ad peccatum arcendum multum refert, quis, quomodo, & à quo errorem audivit, cui fidem dedit.

42. Demum nemo Catholicorum errori ab Ecclesia damnato fidem præstat, nisi eo ipso fidem abiciat, & graviter peccet, non ex ignorantia, sed ex malitia, saltem ab initio. Itaque omnes Hæresiarum gravissimè peccarunt contra fidem: nec à peccato populus ab iis seductus immunis fuit; nemo enim fidelis sine manifesto peccato, eoque non ex ignorantia sed ex malitia profecto, ab illis articulis resiliere potest, quos ab Ecclesia ut fidei dogmata teneri novit. Itaque Pontifices ex hoc etiam capite contra lupos seductores, & oves seductas insurgere debent, ut illis clariùs ob oculos ponant errores ac peccata, eo fine, ut & ipsi respiciant, & ne alii in eorum laqueos jam clariùs detectos peccaminosè incidant.

43. His præmissis, quæ videntur esse satis certa, argumentum Celladei sponte ruit. Si enim rusticus adeo rudis sit, & incapax, ut post debitam diligentiam sufficienter capere aut scire nequeat, quid in Ecclesia & ab Ecclesia certò teneatur, aut si cupidus sciendi quæ non novit, adeat eos, qui ipsi præpositi sunt, quique publicam sufficientiæ famam adepti sunt; talis homo si ab uno vel altero ejusmodi audiat aliquid credendum esse de fide, nec quemquam reclamantem audiat, non videtur peccaturus si illis fidem adhibeat, quia pertinax non est, sed paratus omnes illos errores respicere, cum sciverit illos ut tales ab Ecclesia respui. Nihilominus peribit miser, & verè maculabitur, si error sit circa ea, quæ necessitate mediè cre-

Error, licet invincibilis sæpe multo obest.

Vix ulla hæresis primaria quin impegit in articulo necessitate mediè omnibus credendum.

Non omnis in fide error rudioribus imputabitur.

dii credenda sunt. Itaque in exemplis à Celladeo adductis aut numquam aut rarè valde contingit errantes, non peccare, quia nimis notorium & obvium est, illa ab Ecclesia ut falsa ac hæretica rejici. Nec refert quis sit, qui hæc doceat, an Pastor, an Episcopus, an Patriarcha, quia vel ipsi rudibus nimis aperte constat, Ecclesiam omnibus esse præferendam.

44. At si loquamur de rebus magis reconditis, quarum explicita fides non est omnibus necessaria, ne quidem necessitate præcepti, absque ratione dicitur, quod error circa illas sit peccatum in eis, qui orto de illis dubio Pastores sibi præpositos consulunt, quamvis ab illis decepti errori fidem præbeant. Id ipsum multò magis verum est in illis, qui ab infantia inter hæreticos educati sunt; in illis enim errores etiam circa credenda ex necessitate mediè, longè faciliùs quàm in fidelibus sunt invincibiles, & inculpabiles; quia cum illi numquam habuerint, æstimationem debitam de auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, sed potiùs semper contra eam exclamantes audierint, ab initio illis vitio verti non potest, si viris apud eos gravissimis de illis, quæ contra lumen naturæ non sunt, fidem dederint. Idque longè frequentius ac diutius, & sæpe per totam vitam locum habet in rudibus, qui numquam cum Catholicis conversati sunt, sed semper de illis pessima audierunt. Nihilominus miseri illi peribunt, nisi Deus eos tandem illuminaverit, & ad fidem necessariam reducerit. At si solùm errent, circa ea quæ citra animæ periculum à fidelibus ignorari possunt, non ideo peribunt, si fidem de necessariis habeant, quia non est cur aut illi, aut rudes Christiani, qui talia à suis Præpositis constanter audierunt, criminis accusentur; illi enim fecerunt quantum humano modo potuerunt, ideoque si errent, invincibiliter errare censendi sunt.

45. Sed & Celladeus ipse in hoc inconsequentia arguendus est, nisi omnes fermè Catholicos totâ vitâ contra fidem peccare dicat. Ratio est, quia in materia fidei malum ignorantia & erroris per illum maxima ex parte æquiparantur, quamvis error sit deterior ignorantia. Omni enim nisi ostendere conatur malum utriusque esse magnum, & consequenter debuisse prohiberi. Et sanè ignorantia circa credenda, sive necessitate mediè sive necessitate præcepti, non minùs infert peccatum & damnationem quàm error, ut patet. Hoc tamen non obstante ignorantia plurimorum de fide dogmatum non est tantùm malum quod universaliter prohiberi debuit, alioquin nemo absque peccato ignorare posset, quidquam quod à Deo revelatum est. At hoc est falsum, quia maxima fidelium pars plurima eorum, quæ Ecclesia tamquam dogmata revelavit, ignorat, & pauci valde sunt, qui singula norint; nec ideo peccant, modò ea credant quæ necessaria sunt tam necessitate mediè, quàm necessitate præcepti. Jam quamvis omnes teneantur singula credere, quando sufficienter proponuntur ut assera ab Ecclesia, licitè tamen ignorantur, quando ignorantia nec affectata est nec supina, nec hæc ignorantia tantùm malum est, ut prohiberi debuerit. Ergò idem dicendum est de errore, quando error ille non est culpabilis, sed incurritur etiam ab iis, qui in rebus ad animam spectantibus diligentes sunt, maximè si ita dispositi sint, ut in omnibus Ecclesiæ obedire parati sint, ubi constiterit illam oppositum tenere. Ergò error in rebus istiusmodi absque peccato incurri potest, non solùm ab iis qui in hæresi educantur, sed

etiam ab ipsis fidelibus, quando à Pastoribus solum dicitur non credant.

46. Hæc de errore citra peccatum in materia fidei, & de Celladei æquivocationibus hac in parte dicta sufficient: superest ut ejusdem æquivocationem magis adhuc palpabilem in materia morum convellamus. In primis quantum spectat ad ea quæ prohibita sunt quia mala, pauca tantum invincibiliter ignorantur etiam ab infidelibus, qui non possunt non satis percipere ea esse mala, quamvis non tam clarè videant eorum malitiam, quàm qui de illis melius instructi sunt. Porò hoc ipsum à fortiori locum habet apud fideles, qui expressam Decalogi aliorumque prohibitorum notitiam habent. Itaque exemplum fornicationis & similium non est ad rem, quia fideles citra peccatum malitiæ ignorare nequeunt id non esse malum & vetitum. Nec refert, quod Pastor aliquis aut Episcopus vel Doctor doceat oppositum, quia cum Ecclesia doceat fornicationem esse illicitam, omnis privatorum auctoritas contemnenda est, ut Deus audiatur, qui nos per Ecclesiam docet; cum qui Ecclesiæ in talibus contradicit, Deum mendacem faciat. Quare in his utrò concedimus non sufficere, quod Pastor aut Episcopus, vel etiam Angelus dixerit id esse licitum, quia nemo nisi temerè & cum hæresi illis fidem dare potest contra Ecclesiam contrarium docentem, ut patet.

47. Sed quod inde transeat Celladeus ad probabile, quasi verò id ad excusandum à peccato non sufficeret, atque id ex paritate fidei comprobet, undique à veritate propter multiplicem æquivocationem deficit. In primis supponit hæreses fuisse verè probabiles, saltem ipsis hæreticis, qui illas approbaverunt ut veras; hoc autem aperte veritati repugnat, quia de essentia probabilitatis est, ut nil certi in oppositum afferatur. At Auctoritas Ecclesiæ damnantis hæreses definitionem suam certam reddit. Nulla proinde hæresis probabilis esse potest nec quoad se, nec quoad illos, qui aut Ecclesiæ auctoritatem norunt, aut nosse possunt ac debent. Unde omnes qui ab initio contra Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, eo ipso sunt inexcusabiles, cum vincibiliter & ex malitia errare convincantur. At si sermo sit de seductis, ac ab infantia in hæresi educatis, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate æstimationem nec habent nec habere potuerunt, eò quòd stultitiam de illa informationem semper acceperint, illi invincibiliter errare possunt in materia fidei, in quo casu error illis hic & nunc evadit extrinsecè probabilis, quia magnam habent auctoritatem pro eo, quòd credunt, & invincibiliter ignorant omne prævalens, quod in oppositum asserti potest.

48. Nec obstat, Hæreticos, etiam formales, existimare sua dogmata esse vera ac etiam certa, quia inde solùm sequitur, quòd consequenter ad indebitum animi affectum, apparentem apud illos probabilitatem habeant, quod nemo negat. Verùm talis probabilitas, affectum indebitum consequens, neminem excusat, nec à nobis pro regula conscientia ponitur. Mirum proinde est talia objici potuisse.

49. Deinde paritas inter errores de fide & moribus crassam æquivocationem continet, quia multipliciter institui potest. Error enim circa mores potest simul esse error circa fidem; sic qui adulterium licitum esse crederet, & contra fidem & contra mores erraret, Et quidem in hujusmodi

Præsertim si versetur circa articulum, ne quidem necessitate præcepti credendum explicitè.

Celladei inconsequentia.

casu paritas rectè procedit, sed Celladeo non fa-
vet, quia in istis non dubitatur de culpa, cum fi-
deles Ecclesiae auctoritatem scientes circa talia
sine peccato ratione sui imputabili haud erent.
Immo quod plus est, infideles circa talia vinci-
biliter errant, quia ipsum naturae lumen nisi ma-
litosè tegatur, talia turpia esse convincit. Ergò
in talibus satis constat de peccato. Quod si nulla
sit certitudo fidei de aliquo puncto, sed post
omnem diligentiam res maneat dubia, ut tam in
fidei, quam in morum materia saepe evenit, tunc
etiam paritas rectè se habet. Verùm in hoc ca-
su error si probabili fundamento nitatur, in utra-
que materia à peccato excusat. Verùm excusatio
paulò immediatius apparet in materia fidei, ut
constat ex dictis *quest. 11.* ubi ex paritate probabi-
litate excusantis in materia fidei, probabilitatem
etiam in materia morum excusate intulimus.

Aliter insti-
tui potest
paritas.

Sed Cella-
deo non fa-
vet.

50. Verùm si paritas instituat inter errorem
de moribus verè insuperabilem, eò quòd post
omnem diligentiam adhibitam res maneat incer-
ta, & ob grave motivum vera credatur, & erro-
rem circa fidem in rebus jam clarè decisis, argu-
mentum in tali paritate fundatum sponte ruit,
quia evidens disparitas se prodit, eò quòd ejus-
modi error circa fidem sit vincibilis, omniq[ue]
probabilitate careat, cum error circa mores sit
invincibilis, ac motivo verè probabili nitatur.
Jam si Celladeus, ut oportebat, hæc distinxisset,
& plura dissimillima sub generali eorundem ter-
minorum notione contenta æquivocè non con-
fundisset, nullum ex hoc capite pro se, sed vali-
dissimum contra suam opinionem argumentum
invenisset.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Quæstione 8. contentæ, & quaeritur, an
absolutio Ecclesiae probet, quod homi-
nes errore circa fidem laborantes in
ipso peccent & excommunicationem
incurrant.

Obiectio ab
auctoritate
S. Thomæ

51. **O**BJICIT sextò. S. Thomas 2. 2. *quaestio*
10. art. 12. ut probet filios Judæo-
rum & infidelium invitis parentibus non esse ba-
ptizandos, sic arguit. *Maximam auctoritatem ha-*
bet consuetudo Ecclesie, quæ semper est in omnibus
amulanda; quia & ipsa Doctrina Catholicorum Do-
ctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis
standum est auctoritati Ecclesie, quam auctoritati
Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Do-
ctoris. Hoc autem Ecclesia usus nunquam habuit,
quod Judæorum filii, invitis parentibus baptizarentur.
Ecce quantæ auctoritatis apud omnes esse debet
praxis Ecclesie, cum illi omnes rationes & au-
ctoritates S. Thomas postponat. Hinc autem ad
præfens intentum sic arguit. Consuetudo Ec-
clesie est, ut populos integros, etiam rudes ipsos,
ac feminas, propter errores & hæresim à se ab-
scindat, ut redeuntes hæreticos ab excommuni-
catione absolvat, nec omnibus eos absolvendi
potestatem committit, sed personis certis refer-
vat. Ergò Ecclesia censet, tales propter suos
errores, esse peccati ac hæresis reos, quia ex-
communicationis in hæreticos lata non nisi per pec-
catum incurritur, ut patet. Hæretici ergò, quos
Ecclesia absolvit, peccatum hæresis & pœnas hæ-
reticorum incurrunt. At non solum privatæ per-
sonæ, sed integræ nationes absolviuntur. Ergò
integræ nationes sunt veri hæretici. Et tamen in
integris illis nationibus aut omnes aut plerique

R. P. A. Terilli, Regula Morum. PARS II.

putant se rectam viam tenere, nec de hoc vel mi-
nimum formidant, immo, propter educationem
in hæresi, pessimam de Catholicis opinionem
cum lacte sugunt. Ergò saepe peccant etiam illi,
qui putant se non peccare, sed rectè agere. Ita
fermè Celladeus *quest. 8.* ubi vehementer invehi-
tur in aliquos, quos tamen haud nominat, qui
per doctrinam de actuali advertentia mali ad pec-
catum requisitam innumeris ab hæresi, & ex-
communicatione liberant, quia
dicunt eos non peccare, quoties actu non adver-
tunt peccatum latere in opere. Hac ratione eos
ab excommunicatione liberos esse decernunt,
qui se excommunicationem incurrisse ignorant,
eosque privata sua auctoritate Ecclesie reconci-
liant, seu à peccatis citra reconciliationem absol-
vunt. Mox addit, nonnullos à proprio hæresis
peccato, & consequenter ab omni hæreticorum
pœna liberare omnes ignorantes, nisi affectata
sit eorum ignorantia; qui in eo se fundant, quòd
excommunicatio sine contumacia & contemptu
non incurritur. Ad contumaciam autem & con-
temptum cognitio necessaria est, qui enim ex-
communicationem ignorat contumax esse nequit.
Ergò excommunicationem ignorans, eam non
incurrit. Ergò ignorantia nisi affectata sit, ex-
cusat.

Contendit
ignorantiam
invincibilis
non excu-
sare ab ex-
communi-
catione.

52. Tandem in eos invehitur, qui simplicem imo nequè
hæreticorum populum propter invincibilem eo-
rum ignorantiam à culpa & pœna hæresis liber-
rant. Opponit autem praxim Ecclesie, quæ eos
in suum gremium non admittit, nisi ab excom-
municatione primùm absolvat.

ab hæresi.

53. Nec dicas, inquit, absolutionem illam im-
pertiri quidem in foro externo iustis de causis,
cum in foro interno non sit necessaria: contra
enim est, quia forum externum non differt ab
interno, nisi quando ignorantia, error, vel falsa
præsumptio reperitur in foro externo, quòd in
interno locum non habet. At in casu præfenti
simplicitas, ignorantia, & ineptitudo rudium ho-
minum, sicut & eorundem educatio, id est omnes
tituli in quibus invincibilitas ignorantie fundari
potest, æquè innotescent in utroque foro. Ergò
judicium utriusque fori debet esse idem. Præterea
si capita illa fundarent ignorantiam invincibilem,
utique facerent præsumptionem de ignorantia
invincibili rudium, qui ab hæreticis seducuntur,
quia præsumptio fundatur in eo quòd plerum-
que contingit, nec umquam id præsumitur, quòd
raro & in gravioribus evenit, quia raro contin-
gentia præsumenda non sunt, sed probanda. Er-
gò Ecclesia neminem præsumere deberet esse
hæreticum, sed positiva ratione opus esset. At
hæc omnia falsa sunt & absurda, cum praxis Ec-
clesie ostendat hujusmodi homines esse reos,
quia illos non sine reconciliatione & absolutio-
ne ab excommunicatione in suum gremium re-
cipit. Ergò rei sunt. Ergò peccant, & hæreseos
rei sunt, quia suis dogmatibus putant se non
peccare, sed bene agere, dum eis fidem præbent,
atque fidem Catholicam averfantur. Ita Cella-
deus dicta *quest. 8.*

Replica

Responso

54. Respondeo inprimis me nullatenus iis
favere, qui de incurso pœnarum nimis laxè sen-
tiunt. Scio ignorantiam non solum affectatam,
sed etiam crassam seu supinam ad peccatū, & con-
sequenter ad pœnas peccato debitas ex se ac suo
conceptu abundè sufficere: laudo proinde Cella-
deum, qui §. 2. hac in parte communi sententia
adhæret, eamque ex Azorio aliisque rectè pro-
bat. Cæterum modus discurrendi, quo utitur,
non

X

non

non placet, quia doctrinam hanc veram ita proponit, ac si ignorantia culpabilis ad quamvis excommunicationem incurram sufficeret; cum tamen hoc non minus absurdum sit, quam negare quod excommunicatio per ignorantiam non affectatam umquam incurri possit. Sciendum ergo est, jura excommunicationem interminantia diversimodè loqui. Aliqua simpliciter prohibent opus, idque sub pœna excommunicationis: alia eos tantum excommunicant, qui aliquid scienter agunt. Quædam censuram iis inurunt, qui presumptuosè, aut temeritate præsumptuosa aliquid patrare audent, &c. Jam sicut certum est, leges istas non frustra, & sine effectu, diversis phrâsibus uti; ita pariter certum est plus requiri ad posteriorum, quam priorum pœnas incurrendas. Juvat autem credere, Auctores, quos nomine suppresso Cellædeus citat, juxta hanc legem & verborum diversitatem suas assertiones stabilivisse; quia graves Auctores sensi sua in confuso exponere non solent, sed cuncta rectè distinguere, atque in classes revocare. Verum si quis a recto aberrârit, citetur nominatim, & non tacito, sed expresso nomine impugnetur; hoc enim legentium utilitati conducibilis est, quam in confuso Doctores arguere, qui fortè non adeo crudè res proponunt, sicut illis objiciuntur.

Diversimodè ferri solent excommunicationes.

55. Deinde respondeo, praxim Ecclesiæ sine hesitatione in omnibus æmulandam esse, & ab omnibus plurimi faciendam; necessitatem tamen operis non semper tam efficaciter ab illius praxi probari, quàm vobetur inhonestas operis, quod universali praxi omittit vel prohibet. In casu S. Thomæ aliisque similibus praxis Ecclesiæ efficaciter probat opera ejusmodi esse illicita; quia si licerent, eo ipso evaderet necessaria, ideoque Ecclesiæ in necessariis deficeret, si talia toleraret, quia permitteret suos subditos in talibus peccare, absque eo, quod eos, ut potest, aut corrigeret aut intrueret. At Praxis Ecclesiæ non semper ex æquo probat illud esse necessarium, quod ipsa exercet; quia sæpe facit ad cautelam, quod scit non semper esse necessarium. Sic sæpe ad cautelam dispensat, aut à censuris absolvit, quamvis sciat non omnes quibuscum sic operatur, esse reos. Verum in ejusmodi casibus dispensatio & absolutio non sunt omnino absolutæ, sed ex mente concedentis, conditionatæ.

Quo sensu praxis Ecclesiæ sit argumentum infallibile moralitatis.

56. Quantum autem attinet ad consuetudinem Ecclesiæ in absolvendis hæreticis ad suum gremium redeuntibus, alia est praxis fori externi, alia interni. Externum forum ad hoc præcipuè respicit, an homo rediens, errore deceptus fuerit? & an se jam Ecclesiæ subjicere velit? Si errorem fateatur, & emendationem spondeat, reconciliatur, illique absolutio à censuris datur, saltem ad cautelam. Nec mirum, quia quamvis homo rediens, dicat, se hætenus non solum bona fide processisse, sed in nullo umquam dubitate aut scrupulum habuisse, an suis dogmatibus fidem dando peccarit, non tamen plenam probationem facit, nec ei sine dubitatione creditur, ideoque justum est, ut Ecclesiæ in foro externo ad cautelam saltem eum absolvat. At in foro interno sola penitentis assertio plenam fidem facit; ideo praxis fori interni diversa est à praxi fori externi. Cum enim ea plenè probentur in foro interno (quæ si plenè probarentur, & certò constarent in foro externo, Ecclesiæ absolutionem non adhiberet, nisi ad summum conditionatè) utique sequitur, peritos Confessarios aliquando videre hominem reconciliandum invincibiliter errasse,

Ingens differentia inter fori externum & internum in ordine ad absolutionem.

& absque pertinacia ad hæresim & hæreticorum pœnam contrahendam requisita errasse, & in errore permanisse, ideoque nil mirum est, si aliquando hujusmodi à peccatis absolvant, etsi eum ab excommunicatione, si eam propter hæresim contraxisset, absolvere nequeant. Quæ cum ita sint, mirum est, Cellædeum adeo æquivocasse circa forum externum & internum, ut putaverit eadem prorsus quoad præsentem materiam in utroque constare; cum in foro externo solum constet multos ex educatis ab infantia inter hæreticos à peccato hæresis excusari, quod tamen numquam sufficienter constat de hoc particulari, qui absolvitur; in foro verò interno generaliter constat plures esse peccati reos, plures innocentes, de pluribus etiam dubitatur. At de hoc peculiari homine, qui reconciliatur, satis constat eum innocenter errasse. Eadem quidem argumenta, quibus generaliter scimus aliquos esse, aliquos non esse reos, æqualiter patent in utroque foro. Verum illa ad neutrum forum regulandum sufficient. Pro forenchem interno opus est alia certiore regula, quæ plenam innocentie probationem contineat. Similiter nemo in foro externo absolute damnari potest, aut hæreticus haberi, nisi crimen sufficienter probetur, quod certè ex generalibus illis titulis non sufficienter probatur. Itaque in tali casu falsum est quod absolutio in foro externo absolute detur ut necessaria, cum aliter justè dari non possit, quam conditionatè & ad cautelam.

57. Debuisset Cellædeus probare forum externum dare absolutionem ut absolute necessariam omnibus, qui ad Ecclesiæ gremium redeunt, etiam iis qui aliquando reconciliantur in foro interno absque absolutione à censura hæreticis inflicta, quando eadem constant in foro externo; tunc enim ex praxi fori externi rectè intulisset privatos homines errare, qui in foro interno aliter procedunt. Verum evidens est, cum nec hoc probasse, nec quemquam probare posse; quia eo ipso probaret, externum Ecclesiæ judicium esse exorbitans ac injustum, utpote quod multos immo plurimos innocentes damnaret ut nocentes, etiam si nulla sufficiens probatio criminis contra eos afferretur. Undique ergo argumentum labitur.

58. Alia etiam æquivocatio latet in argumento, quia arguens non distinguit inter illas nationes, quæ ab initio contra expressam Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, Ecclesiæ que auctoritatem prius satis notam contemnunt; & illas, quæ ab infantia in hæresi educatæ fuerunt, nec ullam umquam sufficientem de Ecclesiæ auctoritate notitiam habuerunt, sed è contra mira contra eam semper declamitari audierunt. Omnes in prima classe contenti peccant peccato hæresis, à quo proinde, sicut & à pœnis tali peccato inflictis, meritò absolvuntur in foro externo, nec absque tali absolutione reconciliari debent in foro interno; Et in hoc sensu admitti potest, integras nationes peccati hæresis reas esse, & ab Ecclesiæ absolute absolvi posse. Dubito tamen an talis absolutio umquam integræ nationi impertita fuerit, quia intercurrente tempore plures inter hæreticos ad usum rationis pervenerunt, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate opinionem habere non potuerunt. Itaque respectu talium absolutio non erit absoluta, sed solum conditionatæ & ad cautelam, cum illorum contumacia & peccatum sufficienter non probetur.

59. Ex iis verò, qui in secunda classe continentur,

Refellitur
experientia
Missionis
nostræ.

nentur, magna sanè pars adolescit in erroribus, eosque invincibiliter veros habet, nec Celladeus, ni fallor, id diffiteretur, si apud nos in Anglia educatus fuisset, atque manum hominibus ad fidem reducendis adhibuisset. Invenisset enim plures, qui nullam in vita sua de veritate suæ religionis, aut de nostræ religionis falsitate dubitandi causam habuerunt, quique post conversionem post diligens examen ullum de sua in hac re negligentia scrupulum invenire possunt. Ex his multi, statim ut dubitandi causa apparuit, serò se ad veritatem indagandam contulerunt. Nec desunt plurimi in sua secta valde religiosi, qui juxta instructionem quam habent, Deo servire satagunt. Hi certè hæretici non sunt, nec unquam fidem in baptismo acceptam perdiderunt, & tamen isti ipsi ad cautelam ab excommunicatione absolvuntur in foro interno ab iis, qui ab hæresi absolvendi facultatem habent; non est autem cur, si iuxta causam id exigeret, absolvi non possent in foro interno ab eo, qui talem potestatem non haberet, cum satis constet, eos nec contumaciæ, nec peccati contra fidem reos extitisse. Verùm in regionibus Catholicis pro uniformitate Ecclesiæ, & ad majorem populi fidei satisfactionem & ædificationem admissio ad gremium Ecclesiæ, & absolutio saltem ad cautelam in foro etiam externo danda est.

Experientiæ
suffragatur
ratio.

60. Cæterum non solum praxis continua cum iis qui reducuntur ad fidem, sed etiam rationes efficacissimæ planè convincunt, plurimos ex rudioribus inter solos hæreticos ab infantia educatos ab hæreseos peccato esse immunes. Hi enim, sine prædicante & annunciante, audire veritatem, illique fidem dare nequeunt. At nemo illis nuntiat veritatem, sed omnes sua dogmata proponunt tanquam à Deo, & Sanctâ ejus Ecclesiâ tradita. Ergò invincibiliter ignorant & errant. Sed ponamus aliquem illis scrupulum ingerere; an ideo statim tenentur suis erroribus renuntiare, & fidem Catholicam amplecti? nullo modo. *Qui cito credit, levius est corde.* Fieri potest, ut qui scrupulum injicit exigua auctoritatis sit; fieri potest, ut deteriora proponat, &c. At in re tanti momenti, quanta est fides & salus æterna, prudentis non est auditis statim fidem dare; immo temerarium esset & stultum illi credere, de quo non constaret, quod esset fide dignus. At non statim constat, quod novam proponens fidem sit fide dignus; immo ut sit fide dignus doctrinam suam reddere debet credibilem, quod non statim, nec ab omnibus facile fieri potest. Rursus si unus unam, & alius ei contradicens aliam fidem proponat, (quod in tali casu ferè semper evenit) infidelis ille, maxime rudis, ignorat, quis aut qualis sit, qui fidem veram proponit, & an sit dignior fide iis, quos ab infantia contrarium docuissent novit.

61. Rursus, infidelis vel hæretici ejusmodi non tenentur credere aliam falsam sectam sic propositam. Ergò neque veram, quia ex modo proponendi scire nequit, quamnam sit vera. Unde Dominus ipse *Joan. 15.* tradit peccatum non habituros, *si signa non fecisset, quæ nemo alius fecit.* Similiter Catholicus etiam indoctus non tenetur credere hæretico dicenti se verum prædicare, idque non solum quando constat, quod contra Ecclesiæ sensum loquatur, sed etiam in rebus, de quibus rudis ille nil antea audivit in alterutra parte. Ergò vice versa hæreticus rudis non statim tenetur credere veritatem, eo ipso quòd ipsi proponatur.

R. P. A. Terilli, Regula morum. PARS II.

62. Tertio, ratio à priori sumitur à S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. ubi tradit, credentem debere videre mysteria fidei, non in se, sed prout sunt credibilia; *Non enim crederet, inquit, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Hinc sic arguo. Mysteria fidei non statim ita proponuntur à quovis, ut evadant credibilia, sed ad hoc confirmari debent vel evidentia signorum, vel aliquo æquivalenti; sed ad hoc multum requiritur. Ergò hæreticus ille rudis non statim tenetur credere, immo non potest credere, donec videat rem propositam esse credibilem. Ergò debet videre illam esse credibilem suâ sectâ. At ad hoc non quævis propositio sufficit, sed valida propositio ac confirmatione opus est. Verùm hoc universaliter verum est, minora motiva sufficere, ut talis hæreticus possit ac debeat de sua fide vacillare ac dubitare, quàm ut fixam ac firmam & immutabilem fidem concipiat. Hæc & alia ejusmodi convincunt, plurimos ex rudibus, apud solos hæreticos educatis, in sua secta invincibiliter errare, & pœnas hæreticorum non incurrere.

Imò & rationis
Autem
ritas.

63. Sed contra instat Celladeus, & §. ultimo sic objicit. Ex hac doctrina sequitur nullum fuisse in mundo hæreticum, nullum infidelitatis peccatum; nemo enim credit, quod sibi credibile, & opposito credibilius non videtur. Ergò nulli hæretico in sua secta manenti unquam sufficienter proposita fuit fides. Ergò nullum fuit aut est peccatum hæresis propriæ, & interioris. Hinc constat rationes allatas in eo solo vim facere, quòd omnia regulent per actualem cujusque existimationem de bono & malo. At constat hoc esse falsum. Teneatur vera doctrina, quòd peccari potest operando juxta conscientiam, si vincibiliter erret, & omnia sponte corrumpunt. Peccat enim hæreticus si fidem præbeat illi, qui nondum sibi fide dignus habetur, quia temerè agit contra conscientiam. Et tamen peccat etiam operando juxta conscientiam non credendo, quia tenetur eam conscientiam, utpote erroneam, deponere, quòd locum non habet in casu Catholici, non credentis falsa sibi proposita, quia hic operatur juxta conscientiam rectam, non erroneam. Quod si Christus dixit Judæos peccatum non habituros, nisi ipse signa fecisset quæ nemo alius fecit, non tamen adjunxit, eos non peccaturos, nisi ipsi id ita esse cognoverint, quia multi odio obcæcati id non cognoverunt, qui tamen id negando ac nesciendo peccarunt. Similiter verum est quòd S. Thomas dicit, credentem debere videre *mysteria fidei esse credenda vel propter signorum evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi.* Sed ubi dixit S. Doctor, quòd quicumque hanc evidentiam non assequitur, hoc ipso excusetur, & hæreseos peccatum non incurrat? Ita Celladeus.

Replicat

64. Respondeo, Adversarium in eadem æquivocatione, ac rerum indistinctione persistere, atque ex illa ad illationes omni veritatis specie carentes progredi. Ex hæreticis alii scientes & volentes contra Ecclesiæ auctoritatem, quam satis respectam habent aut habere possunt & debent, pertinaciter suis erroribus inhaerent, & hi à formalis hæresis peccato non excusantur, quia testimonium Dei loquentis sufficienter propositum posthabent & contemnunt, quantumque in ipsis est Deum mendacem faciunt. Nec obstat, quòd sectas suas mysteriis fidei credibiliores habeant, quia hæc apparentia credibilitatis consequitur ad affectum indebitum, & ad judicium temerè conceptum, uni parti peccaminosè alligatum.

Responso.

tum, ideoque error ille est ipsis imbecillabilis, quia fundatur in ignorantia voluntaria, supina scilicet, vel fortè etiam affectata. Alii aut nullam unquam de Ecclesia Catholica mentionem fieri audierunt, aut non nisi pessima de illa perceperunt; ideoque nec habent, nec debitam de illius auctoritate opinionem habere debuerunt, aut etiam potuerunt. Jam de his tantum rationes nostræ procedunt, quia error istorum est prorsus invincibilis, cum apparentia de illius veritate antecedit omnem indebitum affectum voluntatis, sitque talis, ut hic & nunc, aut non possit, aut non debeat deponi. Peto jam, an ex eo quod isti non peccent peccato hæresis, sequatur nullum in mundo hæreticum formalem existisse? Ita infert Celladeus, sed qua veritatis specie judicet Lector, in eo contentus sum, ut ipse hæc legens judicet.

Hallucina-
tio Celladei.

65. Falsum similiter est, quod dicit, argumenti nostri vim in eo sitam esse, quod supponat propriam cujusque existimationem de bono & malo esse sufficientem conscientiam regulam; non enim hoc supponit, sed directè probat ignorantiam & errorem ejusmodi idiotarum esse invincibilem, ac ipsis inimitabilem; talis autem existimatio boni est regula sufficiens, ut ostensum est *quæst. 3.* quamvis constet errorem vincibilem ad conscientiam regulandam non sufficere. Itaque communis illa ac verissima doctrina, quod necessariò peccet, qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam, argumento non officit, quia solum probat hæreticos primæ classis stante sua persuasione in eo peccare quòd Ecclesiam contemnant, &c. quia illi & possunt & debent conscientiam suam erroneam deponere, cum sit vincibilis; pro priori enim adsunt motiva sufficientia ad eam deponendam, utpote quæ obligant ad eam non formandam. At rudes, in secunda classe contenti, aut non possunt aut non debent conscientiam suam deponere, cum antecederet ad omnem affectum uni parti alligatum, motiva ad talem obligationem inducendam sufficientia non habeant, sed, nisi temerè agere velint, suis erroribus fidem dare debent.

Explicantur
verba Christi,
à Celladeo
objecta.

66. Quod addit de Christo non solvit argumentum, quia quamvis Christus non dixerit, neminem ex Judæis, qui non agnovit eum talia fecisse signa, peccasse non credendo, tamen satis luculenter asserit neminem eorum peccatum fuisse non credendo, nisi potuissent id ipsum scire, atque per ipsos, eorumque culpâ steterit, quòd minùs id scirent. At hoc abundè sufficit ad intentum nostrum, cum argumentum procedat de iis, qui talem de mysteriis fidei informationem habere nequeant. Idem proculdubio est sensus S. Thomæ: nulla proinde est hæc Celladei replica.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

Quæstione nona contenta.

Objectio 7. **O**BJECIT septimò. Absurdissima ac perniciosissima hæresis non ita pridem pervulgata docet, unumquemque salvari in sua religione, modò credat in Christum, atque juxta suæ religionis præscriptum vitam instituat, nec quidquam contra lumen naturæ operetur. Error hujus hæresis in eo consistit, quòd dicat, Deum alligasse salutem æternam omni credenti in Christum, modò juxta religionem suam vivat, & contra lumen rationis non operetur; quasi verò to-

ta substantia Religionis, quam Deus exigit ad salutem, in eo solo puncto veretur; quod in Christum credamus, reliquæ verò de religione disensiones sint res parvi momenti, & velut diversarum Scholarum opiniones, in quibus unicuique impunè permittitur in suo sensu abundare. At idem absurdum reipsa sequeretur si verum esset, quod omnis, qui sine scrupulo operatur, juxta conscientiam suam non peccaret. Inprimis sequi videtur, hæreticos omnes juxta errores suos atque formatam ex iis conscientiam non peccare, quia sine scrupulo fidem suam veram habent, & de veritate conscientiam juxta illam formatam securi sunt. Quod si deinde dicatur, bonum esse juxta conscientiam sic formatam operari, sicut turpe est contra agere, eo ipso hæreticorum & infidelium operationes, erroribus suis contentes, evadent honestæ. Inde autem sequitur ulterius, easdem operationes esse ordinis supernaturalis, quia ex verâ Theologiâ gratia supernaturalis & auxilium sufficiens nulli deest ad suas honestas operationes, ut ordinis supernaturalis fieri possint. Erunt ergo operationes illæ meritorie vitæ æternæ, saltem de congruo, quin etiam & de condigno in hæreticis baptizatis, qui grave aliquid contra lumen naturæ, & suam sectam committendo gratiam baptismalem non amiserunt. Habebitur ergò, unumquemque salvari in sua secta, modò juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit.

68. Idem sequitur ex eo præcisè, quòd homo dicatur non peccare, si illud faciat, quod conscientia ipsius sine scrupulo & remorsu bonum esse dicat. Hinc enim sequitur, unumquemque salvari in sua secta, saltem Christiana, si juxta eam, ac lumen naturæ vivat. Inprimis hi baptizati sunt, & gratiam baptismi non perdidit nisi peccando. At non peccant, ut ponimus, si juxta suam sectam & naturæ lumen operentur. Ergò salvantur. Cæteri verò, quibus eo dilectionis Dei remedio provisum non fuerit, salvari nequibunt, sed non damnabuntur, sed ad lymbum puerorum sine baptismo decedentium mittentur, vel ad alium locum ubi leviorum poenarum culpas luant. At sequela absurda est. Ergò falsissimum est, quod conscientia scrupuli & ambiguitatis expers, si ex veritate, si ex errore formetur, à peccato liberet, & operationem honestam inducat. Ita Celladeus *quæst. 9.* ubi asserit se non capere, in quo hæc opinio quoad præteritum, & effectum salvandi omnes in suis sectis, discrepet ab errore hæreticorum dicentium, unumquemque salvari in sua secta, & lege saltem Christiana, si juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit.

69. Respondeo hæc omnia abs re obijci, cum præsentem quæstionem non tangant, nemo enim Catholicorum asserit, omnem operationem juxta conscientiam factam esse bonam, aut certe non malam; sed omnes rem distinguunt, ut ex assertionibus positis constat, & expressè dicunt plurimos sectando conscientiam peccare, operarique ejusmodi, vel ratione sui, vel ratione alterius, ad peccatum & poenam frequenter imputari. Itaque doctrina objectionis procedit de subjecto non supponente, si sumatur ut medium ad improbandam doctrinam communem, quam initio quæstionis proposuimus. Nec hoc distinet Celladeus, qui dicit se hanc quæstionem instituisse de opinionibus, quæ sunt, aut esse possunt, nec ligare an sint. Quæstionem tamen instituere voluit, eamque instituit, ac si indicare vellet opinionem

opinionem communem, quæ actualem mali ad-
vertentiam ad peccandum requirit, quoad ab-
surdum salvandi omnes in sua secta, non discre-
pare ab errore hæreticorum dicentium, omnes
in Christum credentes salvari in sua religione, si
juxta illam vivant, & nil contra naturæ lumen
agant. Sed si hoc intendat, injuriosus est gravissi-
mis Auctoribus Vasquico & Sanchez, aliisque in-
numeris, cum eorum opinionem absurdissimæ
hæresi comparet, pariatque absurda ex utraque
inferri dicat. Hanc notam ut abstergam, opus
erit doctrinam objectionis evolvere, demonstra-
reque communem opinionem nil commune cum
dicta hæresi habere, ne quidem in absurdo illo
prætenso salvandi omnes, qui juxta sectam ac
conscientiam suam vivunt.

Uterior
objectionis
solutio.

70. Inprimis ergo dico, materiales hæreticos
salvandos esse, etsi moriantur in suis erroribus,
modò ab infantia baptizati fuerint, & postea nil
unquam egerint contra lumen rationis, aut dicta-
men suæ conscientie. Ratio est perspicua, quia
tales justificati sunt, & numquam graviter pecca-
runt. Inprimis non peccant credendo, quia hæ-
resis illorum supponitur invincibilis; non etiam
peccant in operando, quia nullum malum illis
voluntarium fuit, cum supponamus eos nil um-
quam fecisse, in quo ulla ratio mali ipsis fuit re-
præsentata. Verum hi salvantur non titulo erro-
rum etsi invincibilium, & quia non peccarunt,
sed potissimè, quia sanctitatem veram in baptismo
repperunt, & illam non perdidērunt. Hi ergo
non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia moriuntur,
à qua per contumaciam numquam coram Deo
separati fuerunt. At si adultus converteretur ab
hæreticis, atque erraret in iis, quæ sunt necessa-
riò credenda necessitate mediæ, ille utique, stan-
te tali errore, justificari non posset, & conse-
quenter nec salvari, quamvis invincibiliter erra-
ret, & post conversionem juxta sectam suam vi-
veret, & nil contra lumen naturæ ageret. Ratio
est, quia caret dispositione, quam Deus ad
gratiæ infusionem absolute requirit. Ergo justi-
ficari & salvari non posset. Et hoc quidem ve-
rum est, si stemus in præcisissimis terminis supposi-
tionis factæ, nam qui sic ageret, salvaretur haud
dubiè, quia facienti quod in se est Deus gratiam
non denegat: at iste homo qui invincibiliter er-
raret, legemque totam naturalem, atque etiam
positivam, quam invincibiliter credit à Deo la-
tam, servat, facit quod in se est. Ergo Deus tan-
dem illum illuminabit, ita ut crediturus sit, &
mediante fide tandem justificandus, aut certè re-
stiturus est vocationi Divinæ, & sic tandem pec-
caturus, & damnandus. Idem proportionaliter
dicendum de hæretico materiali ab infantia ba-
ptizato, si erret circa ea, quæ ab adultis creden-
da sunt necessitate mediæ; Deus enim ex sua pro-
videntia illum tandem illuminabit, &c. Si illu-
minationi correspondeat salvabitur, secus pec-
cabit & damnabitur. Cæterum necesse est, stante
nostra hypothesi, ut ista tandem illuminatio &
vocatio ad fidem talium illi detur, alioquin ad-
mitti deberent duæ in Deo voluntates absolutæ
sibi contrariæ; altera qua non vult perire justi-
ficatum per baptismum, qui à justitia per pecca-
tum non recedit. Ille autem non recederet, ut
supponimus, & Celladeus ipse non negat, si sup-
ponamus eum in omnibus invincibiliter errare,
quia tunc non peccaret sectando dictamen suæ
conscientiæ. Altera, qua non vult adultos salvari,
nisi per actualem talium mysteriorum fidem ad
ipsum accedant. Jam alterutra harum volunta-

R. P. A. Terilli, Regula Morum. PARS. II.

tum frustraretur, si hæreticus materialis ab infan-
tia baptizatus, in casu præsentis quæstionis ad
fidem talium articulorum non vocaretur. Quia
ex vi prioris decreti deberet salvari, cum tamen
ex vi secundi salvari non posset.

71. Hinc apparet, ingentem esse diversitatem
inter hæresim dicentem, unumquemque, quin
Christum credit, salvari in sua religione, si jux-
ta eam vivat, & opinionem jam relatam, quæ di-
cit hæreticum materiale invincibiliter errantem,
& juxta dictamen suæ conscientie operantem, si
in nullo unquam habuerit ullam apparentiam aut
scrupulum mali sibi repræsentati, sic operando esse
salvandam, maxime si non erret in articulis ne-
cessitate mediæ credendis. Diversitas in eo confi-
sit, quòd error ille sit propositio universalis
complectens aliquam particularem veram, &
alias multas particulares falsas. Complectitur
enim omnes juxta suam sectam operantes, ex qui-
bus multi in amplectenda sua secta vincibiliter
errant, quos proinde haud dubiè damnandos
scimus, nisi tandem respiciant. Quod si dicas,
Hæreticos dictos non loqui de illis, qui vincibi-
liter errant, profectò eo ipso non loquuntur
universaliter, sed restrictè, & sic illorum propo-
sicio non amplius esset falsa & hæretica. Verum
haud dubiè loquuntur universaliter, & dicunt
nullum errorem in fide esse culpabilem, modò
credant in Christum, quia reliqua omnia dogma-
ta ut res minoris momenti respiciunt, in quibus
error non magis damnabilis est, quàm sit opinio
quævis Scholastica inter Catholicos diversa sen-
tientes. Itaque sicut propositio hæc hæretica,
*omnis homo salvari potest in sua religione, si juxta
eam vivat*, immensum differt ab illa propositio-
ne Catholica & certissima, *Aliquis homo salvari
potest in sua religione, nempe Catholicus, si juxta
eam vivat*: ita pariter & illa propositio hæretica,
quam Celladeus urget in argumento, immensum
discrepat ab ea quam nos veram esse asserimus,
utraque scilicet ab hæreticis proposita est univer-
salis affirmativa, utraque verò à Catholicis usur-
pata est particularis affirmativa. Uno verbo tan-
tùm discrepant illæ hæreticæ à veris, quantum hæc
propositio universalis falsa, *omnis fidelis est Deo gra-
tus*, differt ab hac particulari vera, *Aliquis fidelis
est Deo gratus*.

Lata dispa-
ritas inter
nostram sen-
tentiam &
hæresim à
Celladeo
obj. etiam.

72. Est & alius error, quem universalis illa
hæretica asserit, nempe omnes salvandos esse
in sua religione, quamvis in multis peccaverint,
si juxta suæ sectæ præscriptum poenitentiam agant.
At hoc est falsissimum, quia aliquæ sectæ vanam
& præsumptuosam confidentiam, aliæ exiguam
aut nullam poenitentiam, aliæ alia pro remedio
assignant, & pleræque errant in medio citra quod,
Deo sic statuente, nemo justificari potest. Hi
ergo etsi vivant juxta præscriptum suæ sectæ, at-
que ita vivendo non peccent damnabuntur, quia
sic faciendo non adhibent medium absolute ne-
cessarium ad justificationem. Peribunt ergo in
peccatis suis, & damnabuntur.

73. Atque hinc constat dictam propositionem
hæreticam plurimum discrepare ab hac alia uni-
versali etiam falsa, *Nemo peccat in eo, quod facit
juxta suam conscientiam*, quia quamvis hæc esset
vera, non ideo sequeretur, hominem operantem
juxta suam conscientiam aut salvandum esse: ut
à prioribus peccatis liberandum; quia si talis ho-
mo erret circa absolute necessariò credenda, at-
que circa media ad justificationem absolute ne-
cessaria, circa quæ errare potest, nunquam sal-
vabitur, quamvis operetur juxta sectam suam, &

Mira Celladei hallucinatio.

in eo non peccet, nec ulla nova peccata prioribus superaddat. Quod cum perspicuum sit, miror Celladeum in hoc adeo deceptum fuisse, ut dixerit se non videre diversitatem ullam inter illas propositiones quantum attinet ad hoc, ut taliter operantes absolute salvandi essent, si juxta illas vitam suam regularent. Prima enim, si vera esset, suos sequaces salvaret; non item secunda, utpote cujus veritas non involvit usum medii sufficientis ad salutem, quem certe prioris veritas aut includit aut supponit. Verum secunda illa propositio est absolute falsa, & à nemine ferenda, ut constat ex dictis.

Errat denuo Celladeus in argumenti sui supposito.

74. Falsò ergò supponit Celladeus, hæreticos universaliter non peccare operando juxta suos errores; hoc enim duntaxat verum est de iis, qui invincibiliter errant, reliqui à peccato non excusantur. Nec dicat se in argumento supponere, neminem peccare faciendo id quod bonum judicat, & ex illa tantum suppositione arguere; nam adhuc falsum supponit, quia si ipsa conscientia dictans rem esse licitam à prava voluntate imperetur (quòd certè evenit in hæreticis, qui à fide deficiunt, quos satis constat non ex ignorantia, sed ex malitia peccare, quamvis eorum peccatum elicitum in ipso errore, seu ignorantia pravae dispositionis consistat, & illi consequenter ad suum hoc peccatù se minime peccasse existiment) adhuc iterum ex hoc capite errat in supposito.

Non omnis invincibiliter in fide errans continus salvabitur.

75. Sed admittamus jam, ut locus detur argumento, eos nec in ipso errore contrahendo peccasse, sed excusari, quia juxta suam conscientiam operati sunt. Non ideo salvabuntur si circa necessaria necessitate medii errant, ut dictum est. Nec obstaret, quamvis contra veritatemmitteremus talia opera esse bona, quia adhuc non essent supernaturalia, quia per fidem, utpote qua heretici illi carerent, non regularentur. Quod autem dicitur, gratiam non deesse, qua bona opera evadant supernaturalia, admitti non debet nisi cum limitatione, scilicet quando opera illa per veram fidem supernaturalem regulantur, quia ordo gratiæ hoc postulat, ut bona opera supernaturalia per fidem supernaturalem regulentur. Deinde quamvis illa opera essent supernaturalia; non ideo taliter operans salvaretur, si stemus in terminis præcisæ suppositionis præsentis, quia hoc non obstante errare potest circa media, quæ Deus statuit ut absolute necessaria. Ergò si ea omitteret non salvaretur, nec ullatenus à peccatis contractis liberari posset. Non ergò ex hoc sequitur unumquemque salvari in sua secta, si juxta eam ac naturæ lumen vixerit.

76. Absurdum porro est, quod dicit Celladeus, eos, qui peccato per baptismum liberati non fuissent, non salvandos quidem, sed nec damnandos, verum ad lymbum parvulorum, aut ad alium locum, ubi leviores culpas luant, detrudendos. Quid sibi vult hoc dictum? Nonne pueri sine peccati originalis remedio decedentes verè damnantur? Damnantur utique, cum Deo odibiles existant, atque ideo vitam miseram in æterno ac horrendo carcere traducunt, quamvis poena sensus torquendi non sint. Quod si huic

malo æternam sensus poenam pro delictis venialibus infligat adjungas, quid ad damnationem delicti nemo dixerit. Libuit tamen Celladeo aliter loqui, & ex suo capite tertium locum æternum fabricare, de quo nec sacra eloquia nos instrunt, nec Ecclesia quidquam docet, sed ex opposito factis aperte indicant nullum ejusmodi locum à Deo institutum fuisse.

77. Demum omittere non possum patenter Celladei in ista quæstione inconsequentiam, seu contradictionem. Prope finem quæstionis invenitur in eos, qui dicunt, Hæresiarchas & Idololatrias omni vitiorum genere abominabiles, non eò cæcitate devenisse, quin mente sua satis adverterent, se in multis male facere, quamvis nullo doloris remorsu conscientia eorum torqueretur, & consequenter quamvis ad judicium uni parti affixum, in aliquo sensu putarent se bene facere. Qui ita sentiunt, hanc rationem afferunt, quod in rebus adeo perspicuis nemo errare possit, quum satis advertat ea esse mala, quidquid dicat aut protulerit in oppositum. Probatio (inquit) in hanc absurdam propositionem tota resolvitur, quod homo errare nequeat in rebus perspicuis. Sciatur, quid est homo, & hoc non dicitur, &c. simulacra gentium Deos non esse haud minus existit conspicuum, & tamen salvetur non una natio, sed mundus universus, &c. Ita de hac re, ubi alios sibi contradicentes arguit, censuit Celladeus; qui tamen paulò antè prope initium secundi §. ut sensum hæreticorum, dicitur unumquemque salvari in sua secta, in proprium favorem proponeret, hæc habet. Hæresis proposita non hoc dicit, servari quemque in sua secta, vel lege, vel religione, quam aut falsam putat, aut quam veram esse subdubitat. Nihil hujus additionis aut hæresis ipsa meminit, aut illius oppugnatores Orthodoxi de additione disputant, sed de hæresi ipsa in se. Est scilicet contra lumen ipsum conspicuum natura, servari quem in sua secta, vel lege, quam aut falsam habet, aut veram esse dubitat. Est ita fateor, Celladee, & quidem adeo perspicuum, ut hæretici, quamvis inter omnes maximè obcæcati, hoc nec dixerint, nec credere, etiam te fatente, potuerint. Inconsequenter ergò loqueris, tibi que contradicis, cum paulò pòst tam contentiosè probare conaris, nil adeo conspicuum esse, circa quod homo errare non possit. Si hoc verum, ergò & Hæretici, qui certè homines cæci, superbi, sibi que præfidentes sunt, in illo, etsi maximè perspicuo, errare potuerunt. Si autem hæretici cæci in hoc tam conspicuo errare nequiverint, ideoque id non ignoraverint, profectò similes hæretici, alique Idololatræ circa multa alia æquè conspicua errare non potuerant, ideoque verè non ignorarunt ea, quæ faciebant, esse mala, quia eorum malitia non minus conspicua est, quam quod nemo salvari possit in secta, quam aut falsam putat, aut veram esse, dubitat. Dicendum itaque scintillam rationis semper manere in homine, per quam semper factis discernat talia esse mala, quamvis aut per consuetudinem, aut pravam institutionem ea parvi faciat, nec remorsum conscientia sentiat, sed ea in aliquo sensu, & in ordine ad aliquem finem aut verum aut fictum dicat esse bona.

QUÆ.